Kurlandya.

Rano y na wieczor rano y na wieczor rano y na wieczo
Zameś my bywali Zameś my bywali Zameś my bywali
y dupę zesrali y dupę zesrali y dupę zesrali y dupę zesrali

SOLIDA
ATQVE
IN ACTIS PVBLICIS ET HISTORIARVM
MONVMENTIS FVNDATA

DEMONSTRATIO
QVOD

STATIBVS CVRLANDIÆ
TANQVAM VASALLIS FEVDI

INCLYTO POLONIÆ REGNO
APERTI

NVLLVM DE EO DISPONENDI ARBITRIVM
VEL
IVS LIBERÆ QVAM VOCANT ELECTIONIS
COMPETAT

ANNO MDCCXLII

M. Andrea Lipiewiczem

PRÆFATIO

NOn eſt novum, Regna & Imperia tot caſibus Scriptorum arbitrio illuſa mutuis inter ſe diſſidiis agitari, imaginariiſque eorundem rationibus abducta, locum veritatis ſupprimere. Æquo caſui Regnum Poloniæ exponi præſumitur; cum nonnullorum (pace dixerim) otio torpentium, ſive minus Regni Legibus inſtructo-

rum,

rum, luci edita opuſcula patuerint, & ſive illi ſint ejus auræ, quam liberam cum libero Regno junctam ſuffocare intendunt Anonymi,(ſub Titulo: *Brevis & ſuccincta enarratio Jurium Curlandiæ circa Electionem Novi Principis*, & alterum: *Jus eligendi Ducem Curlandiæ ex principiis Juris naturalis vindicatum*, ſive extranei Authores, (*ſub Nomine Nobilis Curonis & Zſchackvitzii Halenſis*) qui Patronos Judicesne agant? Curlandiam, acſi liberam Rempublicam, juribus abſolutis regi, & nequidem Ducem ejus Regum & Reipublicæ Polonæ Leges ſequi, imo Ipſummet potius a Nobilita-

te

te Curlandiæ & Semigalliæ liberis suffragiis creari; Operæ pretium existimandum necesse fuit, prædictorum Legis novæ latorum imaginationes ventilare, ficta argumenta retorquere, Jura volatilia Legibus Regni fundamentalibus tollere, paritates minus gnaras & non existentes solidioribus exemplis infringere, & exinde scintillas de sub calamo volanti erumpentes vividis rationum fontibus, ne in flammas exuberent, extinguere, & ne ex atomis montes excrescant, validis Justitiæ & Legum reflexionibus obesse. Eodem itaque ductus spiritu, ne sim aëreus (uti vocitant) noctisque prædam quærens

ve-

vespertilio sive bubo, plusquam sole ridente cum Lege nitente palpandos radios utraque manu prendere mihi consultius visum. Et non sufficit, quod vel minimas Adversariorum objectiones in meris supposititiis speculationibus fundatas solidioribus rationibus compresserim, nam consulto ante omnia Cancellariæ Regni Archivo omnium vel minimorum fere documentorum, transactionumque acta explorata præseferens, iisdem tanquam fidei publicæ monumentis Chronographica permultorum exempla a cepta Curlandia demonstrata validisque Jurium Regni argumentis juncta obsignavi.

Ad-

Advertes itaque, Benignissime Lector, in hoc opere primævum statum, & conditionem Curlandicæ Provinciæ, cujus Dominium penes Danum, partim penes Suecum, dein penes Episcopos, & ex post Ensiferos ac Magistrum Ordinis Theutonici, stetit, unaque cum Livonia Regno posthac Poloniæ per Pacta Subjectionis cessit, ac ab eodem Regno dicta Provincia nomen Ducatui dedit feudo Poloniæ adscripta ac tabulis publicis firmata, pro Domo tantum (ob memoriam saltim ultimi Livoniæ Magistri sæcularisati) Kettleriana.

Ho-

Horum omnium ſeries tribus Sectionibus deſcribitur, ac ad finem pro ſolidiori argumento Jura data Curlandiæ a Regno Poloniæ apponuntur, ac fere omnes Tranſactiones ſpecificantur; Et prout credo ſufficere videntur tam ad ſaniorem male informatorum intelligentiam, & ad confirmandos bene intentionatos pro Jure Regni ſpiritus, quam ad probandam certam & indubitatam Sereniſſimi Regis & Reipublicæ Polonæ Legem diſponendæ ad velle & arbitrium ſuum ejusmodi Provinciæ.

Pars

Pars Prior

Primævam Curlandici Regiminis formam, initaſque cum ipſa Ducatus origine transactiones & feudi conditiones, recenſens

§. I.

Livonia & Curlandia ſub Suecis & Danis

Livonia, eidemque annexa Curonia.

QUod in antiquis Hiſtoriarum monumentis rariſſime, vel nunquam, ſeparata Curlandiæ mentio occurrat, inde videtur derivandum, quod partem conſtituebat Livoniæ, & huic, perinde ac Eſthonia & Lettia, inſerta erat, ita, ut quicquid de Livoniæ fatis, regimine & ſubactionibus, Hiſtorici commemorant, idem quoque de Curlandia, tanquam ejusdem membro, maximam partem ſimul intelligendum veniat. (a) Quæ de vetuſtiori, primis poſt reparatam ſalutem ſeculis, in

 Li-

(a) Vid *Alexandri Guagnini*, Veronenſis, Arcis Vitepſcenſis quondam Præfecti, *Deſcriptio Livoniæ*, in *Sarmatia Europæa*, p. 7. edit. Cracov. 1578. f. dein Spiræ 1581. f. edita, inter ipſius *Opera Hiſtorica* Francof. 1584. 8. promulgata; n. 2. quam tamen plagio ſibi ſublatam opus ſuum pronunciat *Matthias Striikovius Oſoſtevicius*, lib. VI. *Hiſtor. Lithuan.* cap. XIII. edit. Regiom. 1582. f. *Stanislai Sarnicii Deſcriptio Livoniæ & adſitarum Dunæ fluvio provinciarum*, in *Dlugoſſi* vel *Longini* Vol. II. *Hiſtor. Po-*

sub Suecorum imperio

Livonia regimine, inter nonnullos circumferuntur Chronographos, mutila sunt & manca, ne dicam incerta. (*b*) Seculo autem nono *Rembertus*, Hamburgensium & Bremensium Archiepiscopus, Divorum numero postea adscriptus, nominatim Curonum meminit, ubi Livoniam perinde, ac ejus partem, Curlandiam, Suecorum imperio subjectam fuisse testatur, atque *in Vita D. Ansgarii*, antecessoris sui, qui

seculo nono iterum redacta,

ipsemet Daniam & Sueciam peragraverat, atqve *Ericum*, Regem, A. 855. ad Christianam fidem perduxerat, (*c*) uberius recenset, quo pacto, dissipata Danorum Livoniæ inhiantium classe, Curlandia mox in Suecorum potestatem redierit, expugnatisque quinque arcibus, & inter has *Selburgo* & *Pola*,

& tributaria, ut quondam, reddita,

sequentibus se conditionibus subjecerit, *ut solutum olim tributum denuo penderet, datisque obsidibus Sceptro Suecico ceu antea, pareret.* (*d*) Qua immediate conjuncta tributi & subjectio-

lon. col. 1933. edit. Lips. 1711. *Matthiæ Strubiczii Succincta Historico-Geograph. Ducatus Livonici Descriptio*, *a Justo Laur. Dietzio*, Amstel 1727. 8. ex MSto edita; *Descriptio Livon. Elzeviriorum Reipubl. Polon* A. 1627. 16. annexa, & T. XIV. *Topograph. Zeilero-Merianar.* inserta; *Jacobi Schotti Hist. Livon.* & *Pauli Einhornii Histor. Lett.* Dorpati 1649. 4. edita.

(b) De quibus *Christ. Kelch.* P. I *Histor. Livon.* & *Anonymus Anglus*, in *Descript. Livon.* idiomate suo, Londini 1701. 8. & Gallice, Trajecti ad Rhen. 1705 8. edita, Epistola I. plura enarrant De *Bericonis*, Suecorum Regis, prima in Esthoniam & Curlandiam expeditione *Thormodus Torfæus*, in *Serie Dynastarum ac Reg. Dan.* lib II. cap. IX. & *Jacobus Reutenfels*, *de Rebus Moscoviticis*, ad Cosmum III. Magnum Etruriæ Ducem, pag. 8 edit, Patav. 1680. 8 Conf. *Saxonis Grammatici* lib. I. *Hist. Dan.* p 12. & *Stephanius in Notis* p. 48. *Pontani Hist. Dan.* lib. IV. p 87. *Olai Hermelini de Origine Livonorum*, Dorpati 1693. 4. recus. Lips. 1717. 8. *Samuel. Rhanæi*, Curoni, *Diatriba Histor. de Genuina Gentis Curlandicæ origine.* Witteberg. 1683 4

(c) Test. *Joh. Messenii Histor. Suecor.* lib. I. p 47. edit Holm. 1625. 4. *Is. Pontani Histor. Dan.* lib IV. p. 103.

(d) Vid. D. *Remberti Vita D. Ansgarii*, Antecessoris sui, A. 865. defuncti, cap. XIII. in *Lambecii Originibus Hamburgens.* & *Collectione Lindenbrogiana Scriptorum Septentrional.* editionis Fabricianæ n. 13. nec non in *Actis Sanctor.* T. I. mensis Februarii, p. 408. a *Gualdone*, Abbatiæ Corbejensis Monacho, latino carmine reddita, ibidem, p. 427. & juncta veteri versione Suecica, Episcopi Lincopiensis, a *Clau-*

jectionis notione indubitato colligere licet, Curlandiam illo ævo haud forte Rempublicam legibus suis gubernatam, & tantummodo tributariam fuisse, sed potius instar provinciæ bello partæ, simul cum Livonia Suecorum dominio jam antea paruisse, per horum Præsides aut Gubernatores administratam, ita quidem, ut celebris Seculi XI. fideque dignus scriptor, *Adamus Bremensis*, testatum reliquerit, *suo tempore Curlandos Suecorum dominium adhuc agnovisse*, (e) nulla vel liberæ Reipublicæ, vel Status electivi, ratione subducta, donec exeunte seculo A. 1084. CANUTUS IV. Daniæ Rex, ob religionis zelum Sancti cognomine insignitus, Esthoniam & Curlandiam tributariam sibi reddiderit, (*f*) quod etiam seculo subsequente WALDEMARUS I. hujusque filius, CANUTUS, A. 1195. strenue prosecuti sunt, (*ff*) penes quos, teste coævo SAXONE GRAMMATICO, supremum Livoniæ dominium eodem fere tempore stetit, quo Germani, primum novi coloni & hospites, mox ipsimet domini, imperium ibidem capessebant.

instar provinciæ bello partæ,

usque ad seculum XI. bictorum legislatorum arbitrio gubernata,

posthac a Danis subacta, iisque per integrum seculum tributaria,

liberæ Reipublicæ formam penitus ignorabit;

 §. II.

dio *Arrhenio ab Oernhielm*, Stockholmiæ 1677. 4. edita, de qua *Joh. Schefferi Suecia Literata*, p. 10. cum additam. *Mulleri*, Hamb. 1698. 8. Ipsas pacis conditiones citatus *ab Oernhielm*, lib. I. *Histor. Eccles* fusius repetit. Subactionem vero Finniæ, Esthoniæ atque Curoniæ, ab *Erico*, Rege, factam, colligere licet ex *Sturlesonii Histor. Norbeg.* Tom. I. pag. 484. Add. *Joh. Messenii Scond. Illustr.* Tom. X pag. 3.

(e) *Adamus Bremensis*, *de Situ Daniæ*, cap. 223. p 137. editionis Lindenbrogianæ ex MSto Biblioth. Ranzovian. & in *Collectione Scriptor. Septentrion.* edit. Francof. 1609. n. 2. Vid. plura in *Christiani Nettelbladti Dissertatione de Antiquo Suecorum in Curlandiam jure*, in *Fasciculo* I. *Rerum Curlandicarum* in præfat. § IV. sqq.

(f) *Saxonis Grammatici Hist. Dan.* lib. XI c. 66 f. 214. edit. Sorensis 1644. f. *Pontani Hist. Dan.* lib. V. p. 196. *Joh. Meursii Histor. Dan.* P. I. lib. IV. p. 66 *Joh. Messenii Scond. Illustr.* T. X. p. 4 edit Stockholm. 1703 f.

(ff) *Is. Pontani Histor. Dan.* lib. VI. p. 277. 290. *Meursii Hist. Dan.* P. II. lib. I. p. 8. ad A. 1196.

§. II.

Livonia ejusque pars Curlandia sub Ensiferis Equitibus

Dehinc Seculo XII. occasione mercatorum Bremensium,

Postquam medio quasi seculo duodecimo, moderante Germanici Imperii sceptrum FRIDERICO I. navigantes aliquot per mare Balticum in Gothiam Bremenses mercatores, adversa tempestate ad Livoniæ oras, prope Dunæ ostia, rejecti, regiones illas primum inviserent, (*g*) ibidemque commercia quædam instituerent, habita commodi negotiis situs ratione, atque inita cum incolis transactione, sæpius iteratoque deinceps redierunt, & hac occasione adductis secum pro sacrorum celebratione Ecclesiasticis, Christianæ fidei semina dispergere coeperunt, (*h*) adeo, ut MEINHARDUS, Canonicus Segebergensis, ab Archiepiscopo Bremensi missus, indultu WALDEMARI I. Daniæ Regis, qui tum Livoniam tenebat, sacello prope ripam *Rubonis*, seu *Dunæ* fluvii, exstructo, (*i*) indeque *Kerckholm* dicto, complures ad Christiana sacra perduceret, (*ii*) & constitutus a Papa Episcopus, sedem suam Episcopalem *Rigæ* figeret. (*k*) Hunc secutus BERTHOLDUS, Cistercienfis Ordinis monachus, *Rigensem* urbem moeniis cingere coepit, (*l*) quod indigne ferentes Livoni Christianam cohor-

accensa Evangelii luce, Christianis Sacris initiata,

primum Episcopis Rigensibus, Meinhardo,

Bertholdo,

(g) *Balth. Russovius*, P. I. *Chronic. Livon.* f. 4. annum 158. determinat.

(h) *Alberti Krantzii Vandaliæ* lib. VI. cap. IX. & X. *Alex. Guagnini Sarmat. Europ.* T. II. operum pag. 144. *Matth. Waisselii Chronic. Prussico-Livon. Curland.* pag 54.

(i) Teste *Pontano*, lib. VI. *Histor. Daniæ*, p. 290. ad A. 1170

(ii) *Chronic. Carionis* f. 476. edit. Witteb. 1572. *Russovii Chronic. Livon.* pag. 6

(k) *Anselmi Gemblacens. Contin. Annal. Sigeberti*, apud *Pistorium*, T. I. *Scriptor. Germ.* f. 995. edit. Struvianæ. *Joh. Dlugossi*, vel *Longini*, lib. VI. *Histor. Polon.* edit. Lips. 1711. Tom. I. f. 561. *Helmoldi Chronic. Slavor.* cum addit. *Arnoldi Lubecensis*, lib. VII. cap. IX. p. 514. edit. Lubec. 1659. 4. & in *Reineccii Collectione Scriptor. Germ.* n. IV.

(l) *Alberti Stad. Chronic.* ad A. 1195. in *Collectione Boecleriana Script. Germ.* p. 297. *Matth. Prætorii* lib. II. *Orbis Gothici*, cap. IV. p. 197. *Innocentii* III. *Epistolarum* lib. II. n. 191. f. 460 editionis *Baluzii*, *Mich. Vexionius Gul-*

cohortem prælio adorti ſunt, in quo ipſe Epiſcopus cum multis fidelibus cecidit, (*ll*) in cujus locum *Albertus*, Canonicus Bremenſis, per Archiepicopum ſuffectus, (*m*) ab *Innocentio*, III. Pontifice, veniam obtinuit, pro facilitanda pertinacium Livonorum converſione, armatos aliquot Apoſtolos, ſeu *fratres de militia Chriſti*, Templariorum regulis adſtrictos, inſtituendi, qui a permagno, quo cincti erant enſe, rubrisque gladiis albæ veſti in bracchio ſiniſtro decuſſatim inſutis, *Enſiferorum* nomen tulerunt. (*n*) Horum Ordini Epiſcopus, velut ipſius conditor, VINNONEM, Magiſtrum præfecit, eique tertiam redituum partem, nec non peculium omnium ab infidelibus expugnandarum ditionum, promiſit, qui etiam, confirmato per Pontificem INNOCENTIUM III. Ordine, (*o*) initisque cum Epiſcopo conditionibus infimul ratihabitis, (*p*) complures brevi tempore ejusdem candidatos, indulgentiis Papalibus, terrarumque acquiſitione allectos, conſcripſit, proinde dominium Ordinis, una cum Evangelica fide, per Livoniam & Curoniam dilatavit, ſub Imperii Germani-

Alberto, immediate,

deinceps, inſtituto Enſiferorum Ordine, & diviſis terris, qua partem mediate, paruit.

Primus ab Epiſcopo nominatus Ordinis Magiſter, Vinno,

denſtolpe, lib. VII. *Epitom. Deſcript. Suec. Goth. & ſubjectar. provinc.* cap. 77. p. 344. initium conditæ urbis Rigenſis ad A. 1200. refert.

(ll) *Arnoldus Lubecenſis*, l. c. lib VII. cap. IX. ad A. 1204. *Balthaſ. Ruſſovii Chron. Livon.* p. 6. quem *Waiſſelius, Schutz, Kelch, Hartknoch*, aliique Chronographi, ſequuntur.

(m) *Alb. Krantz* lib. VII. *Vandaliæ* cap. XXI. & lib. VI. cap. XI.

(n) *Matth. Prætorii Orb. Goth.* lib. II. §. VI. p. 190. *Joh. Meurſii Hiſt. Dan.* P. II. lib. I. p. 8 *Pontani Hiſt. Dan.* lib. VI. p 290. *Franciſci Mennenii Deliciæ Equeſtrium, ſeu Militar. Ordinum*, p. 88. edit. Colon. 1613 8. & in *Joh. Gualterii Chron. Chronicorum* p. 106. *Petri Dusburg. Chronic. Pruſſ.* P. II. cap. IV. p. 32. edit. Lipſ. 1679. 4. *Henr. Leonh. Schurtzfleiſchii Hiſtor. Enſiferorum Ordinis Teutonicor.* Vitembergæ 1701. 8.

(o) *Naucleri Chron.* Vol. III. Generat. XLI. p. 281. *Oderici Raynaldi* T. I. Annal. ad A. 1215 n. XIX. *Innocentii III. Epiſt. a Baluzio*, Pariſ. 1682. fol edit. lib. XIII epiſtol. 141. 142. fol. 479. & lib. XVI. epiſtol. 123. fol. 808.

(p) *Joh. Dlugoſſi Hiſt. Polon.* lib. VI. edit. Lipſ. 1711 T. I. f. 600. *Carionis Chronic.* lib. IV. f. 476. edit. Witteb. 1572. f. *Caſpar. Schützii Deſcript. Pruſſ.* lib. I. f. 15. edit. Isleb. 1599. f. *Henrici Spondani Contin. Annal. Baron.* A. 1205. n. XV. *Innocentii* III. Epiſtol. lib. XVI. n. 119. f. 806.

dilatato per infidelium terras dominio, & exftructis aliquot arcibus, infignes progreffus fecit, quos ægre ferens Waldemarus II. armata manu Livoniæ atque Curlandiæ partem fubegit, Durante autem triennali ejus captivitate,

manici aufpiciis firmavit, munitas aliquot arces, *Segevaldam*, *Afcherodam & Vendam*, pofthæc Magiftri fedem, ædificavit, tantamque brevi famam acquifivit, ut a CONRADO, Mazoviæ Duce, fummopere a Pruffis oppreffo, fub quarundam terrarum promiffione, in auxilium vocaretur. (*q*) Interea WALDEMARUS II. Daniæ Rex, tot infignes Enfiferorum in Livonia fucceffus ægre ferens, eosdemque provinciæ, cujus paulo ante hofpites erant, nunc plane dominos tolerare gravatus, fub prætextu, Efthoniam, poft CANUTI Regis obitum, Danorum fceptro fe fubduxiffe, arma contra Livonos movit, magnaque ipforum ftrage ad *Woldemariam*, feu *Volmariam*, quæ a victore nomen tulit, edita, infignem Livoniæ & Curlandiæ partem A. 1218. fubegit, (*r*) *Revalenfem* in Harrya urbem, (*s*) & in Curlandia *Piltinenfem*, (*t*) utramque Epifcopalem fedem, exftruxit & dotavit; (*u*) victoriæ autem hujus fructum paulo poft iterum perdidit, ubi tempore triennalis,

(q) *Petri Dusburgii Chronic. Pruff.* P. II. cap. II. p 30. *Naucleri Chronic.* Gen. XLI. f. 293. *Alberti Wijuck Kojalowicz Hiftor. Lith* lib. I. P. III. p. 62. ad A. 1218. Caufam invafionis adducit *Hugwaldus Mutius*, *Chronic. Rer. Germ.* lib. XX. f 203. Conditiones inter Ducem & Equites initas recenfent *Matth. Michovius*, vel *Mechovita*, lib. III. *Chronic. Polon.* f. 116 edit. Cracov 1521. *Cafp. Schutz* lib. I. *Defcript Pruff.* f 16 *Chriftoph. Hartknochii Antiqu. & Nov. Pruff.* cap. I. §. XIII. p 270.

(r) *Joh. Meurfii Hift. Dan.* P. II. lib I f 16. 17 *Pontani Hift. Dan.* lib VI p 307.

(s) *Danopil* inde appellatam, tefte *Carionis Chronico*, lib IV. p. 476. *Joh. Lud. Gottfried Inventar. Suec* P. I. f 10. *Alberti Krantzii* lib. VII. *Saxoniæ*, cap. 37.

(t) A ftante ibidem puero, Danis *Pilten* dicto, hoc nomen fortitam, juxta *Pontanum*, lib. VI. *Hiftor. Dan.* f. 307. a quo deinceps integrum *Epifcopatum Curonienfem*, poftquam A. 1559. Daniæ Regi venditus, & ab hujus fratre *Magno*, Holfatiæ Duce, A. 1560. feculo addictus fuit, *Diftrictum Piltenfem* appellaverunt. Vid. *Nicol. Chwalkow Chwalkowsky*, lib. IV *Jur Publ. Regni Polon.* cap. IX. p. 511 edit. Regiom. 1683. 4. Acta Commiffionum Reg transactiones & deductiones fuper eodem exhibet *Chrift. Nettelbladt*, Fafcic. I. *Rer. Curl* n V. p 179. & integro Fafc II. fub tit. *Anecdot. Curl.* Lipf 1736. 4.

(u) *Alb Krantz* lib. VII. *Vandal.* cap. 22. *Innocentii* III. *Epift* lib. XVI ep. 120. 128 p. 806. fq edit. Parif 1682, curante Baluzio.

nalis, qua ab HENRICO, Suerinensi Comite, detinebatur captivitatis, (*x*) Ensiferi subactas ab eodem Livoniæ & Curlandiæ provincias feliciter recuperarunt. Interfecto enim, per Vendensis præfecti insidias, A. 1223. primo ipsorum Magistro, VINNONE, constitutus ab Episcopo successor, VOLQUINUS, (*y*) Danos Esthonia & Livonia A. 1225. rursus expulit, *Revaliam* muro cinxit, arcem *Fellynum* in Esthonum finibus condidit, (z) ac opem ferente ALBERTO, Saxoniæ Duce, plures infidelium vicit & tributarios reddidit, (zz) quo facto HERMANNUS UGGENUS, munita Torpato, Episcopali sede, capitulum ibidem instituit, ac simul cum Rigensi Præsule ab HENRICO VII. Romanorum Rege, secularem jurisdictionem ac Regalium jura, per Episcopatum suum, tanquam Marchiam, instar aliorum Principum, obtinuit. (*a*) *Semgalensis* Episcopus, Legati Apostolici munere insignitus, potestatem a Pontifice obtinuit, cuncta ad salutare hoc conversionis opus conducentia in istis Septentrionalibus oris coordinandi. (*b*)

Secundus Livoniæ Magister, Volquinus,

Danos iterum expulit,

Episcopis jurisdictionem secularem exercentibus,

Semgalensi Apostolici Legati munere perfuncto:

WAL-

(x) *Albert. Stad. Chronic.* ad A. 1223. edit. Boeclerianæ, p. 303. *Joh. Trithemii Chronic. Hirsaug.* A. 1222. inter ipsius *Opera*, T. II. f. 175. edit. Francof. *Joh. Funccii Chronolog* A. 1222. Captivitatis causam *Arnoldus Witfeldius*, Regni olim Cancellarius, in *Chronologicis suis*, illicitæ Regis consuetudini cum absentis in Palæstina Henrici conjuge tribuit, quem *Joh. Meursius*, *Hist. Dan.* P. I. lib I p. 17. & *Pontanus*, lib VI. p. 309. sequuntur. Captivitatis modum enarrat *Alb Krantzius*, lib. VII. *Saxoniæ*, cap. 38. & conditiones liberationis, cap. 41. quas uberius recenset *Godofredus*, Monachus Cœnobii Colon. ad. D. Pantaleonem, in *Collectione Freheriana Script Germ* T I f. 93. edit Struvii.

(y *Kojalovicz Hist Lith.* lib. IV. p. 89. *Christ Kelchii Hist. Livon.* P. II. p. 74

(z) *Balthas. Russovii Chron. Livon.* P. I. p. 10 *Joh. Meursii Hist. Dan* P I lib. I. p. 18. *Pontani Histor. Dan.* lib. VI pag. 312.

(zz) Vid. *Instrum. transactionis* fratrum Militiæ Christi cum Curonibus Ethnicis, ratione tributi annui, Rigæ A. 1230. apud *Christ Nettelbladt*, Fasc I. *Rer. Curland* n VI. p. 145.

(a) *Henrici* VII. Romanor. Regis, *Friderici* II. Imp filii, in Comitiis Herbipolit. A. 1222. teste *Nauclero*, Gener. XLI. f. 290. electi & coronati, *Diplomata Episcopis, Rigensi & Torpatensi*, d. 1. Dec. A. 1226 *concessa*, leguntur in *Londorpii Act. Publ* T VIII. lib. IX. n. XI. p 65?. & *Diar Europ* Contin. VII. T. VIII. in additam p. 47.

(b) *Alphonsi Ciacconii Vit Pontif R. in Biographia Gregorii IX.* cum addit. *August. Oldoini*, Rom. 1677.

Waldemarus hinc Livoniam armis recuperare studet, WALDEMARUS interea carcere liberatus arma iterum in Livoniam parabat, sua in eandem quæsita jura arbitro Marte suffulturus. *Pontifex amicabilem compositionem tentat,* Pro componendo itaque dissidio omnem Pontifex navabat operam, hisce, interveniente quoque Imperatore FRIDERICO, propositis transigendi articulis, *ut integra Esthonia, cum appertinentibus provinciis, Daniæ Regi cederet, Curlandia vero & tractus Ultra-Dunensis Episcopo Rigensi, ac Equitibus, remanerent.* (c) *qua vero acquiescere nolentes Ensiferi,* Ensiferi autem, hisce terminis acquiescere nolentes, omnem moverunt lapidem, integram servandi Livoniam; Sed WALDEMARI potentiæ impares sese rati, nec solis intrinsecis viribus confisi, suadente VOLQUINO, *Teutonico Ordini A. 1238. se subjiciunt, suo penitus sublato,* consilia A. 1234. inierunt, potentiori in vicina Prussia Teutonicorum Ordini se potius submittendi, quam suis quidquam juribus cedendi. (cc) Hac itaque periodo summa rerum partim penes Episcopos, partim penes Ordinem, stetit. Episcopi enim, primum *Rigensis*, deinceps instituti *Torpatensis*, *Revaliensis*, *Osiliensis*, *Curoniensis* & *Semgalensis*, quilibet in Diœcesi sua, jurisdictionem secularem exercebant, ac civibus suis utile dominium de nonnullis in feudum concedebant; (d) *durante quo Magistri ab Episcopo Rigensi constituebantur, non vero ab Equitum sodalitate eligebantur* Magistri autem Livoniæ, cum Equitibus, tertiam assignatarum sibi terrarum partem, (e) beneficiario modo, reliquasque armis & sanguine suo infidelibus ademtas, tanquam peculium suum, administrabant, & durante Ordine suo, ab A. 1205. per Episcopum Rigensem, tanquam Primatem, Ordinisque conditorem, nominabantur, non vero reliquorum Equi-

(c) Teste *Joh. Meursio*, P. I. *Histor. Dan.* lib. I. f. 24. ad A. 1234. edit. Amstelod. 1638. f.

(cc) Genuinam hanc submissionis causam allegant *Casp. Schutz*, lib. I. *Descript. Pruss.* f. 20. *Matth. Waisselius*, *Chronic. Rer. Prussico-Livonico-Curlandicar.* p. 54. *Pontanus* lib. VI. *Histor. Dan.* p. 318.

(d) Privilegium *Nicolai*, Episcopi Rigensis, civibus suis de parte Osiliæ, Curland. & Semgall. V. Id. Aug. 1231. concessum, vid. in *Nettelbladt* Fasc. I. *Rer. Curland.* n. VI. p. 146.

(e) *Instrumentum* desuper in Capitulo Venetiis, d. X. Maji A. 1223. signatum habetur apud *Nettelbladtium*, loc. cit. p. 148.

Equitum suffragiis eligebantur, donec Teutonicorum Equitum Ordini, suo penitus sublato, A. 1238. se subjicerent.

§. III.

Livonia & Curlandia sub Ordine Teutonico

Teutonici Equites interea Prussiam ex parte subegerant, ex quo CONRADUS, dictus Mazoviæ Dux, post insignem a Prussis acceptam Ensiferorum cladem, (*f*) quocunque pacto pacem inire coactus, sed denuo violenta Prussorum irruptione lacessitus, prosperiorem cum Teutonicis Equitibus Martem experturus, eosdem contra novos aggressorum insultus, in subsidium accerserat, pro navanda opera *Culmensem* & *Dobrinensem* tractus, (*ff*) aliasque egregias conditiones, ab Imperatore, FRIDERICO II. (*g*) pariter, atque Pontifice, GREGORIO IX. confirmatas, (*h*) pollicitus. Fama igitur horum incrementorum, atque adauctæ Teutonicorum per Prussiæ subactionem potentiæ, vicinis in Livonia Ensiferis haudquaquam ignota poterat manere, ut desiderio eo magis flagrarent, celebriori huic Ordini, pro majori contra Danos, unitis viribus, resistentia, se conjungendi, quod missis ad HERMANNUM *de* SALTZA, Teutonicum Magistrum,

Postquam Teutonici Equites, a Conrado, Mazoviæ Duce, in subsidium vocati, insignem Prussiæ partem subegerant,

fama horum successuum ad Ensiferos delata Equites

(f) *Kojalovicz, Hist. Lith.* P. I. lib. III. p. 62. *Caspar Schütz*, l. c. p. 16. *Simon Grunovii Descript. Pruss. Manuscripta*, Tract. VI. cap. I. §. 2.

(ff) *Petr. Dusburg.* P. II. cap. II. p. 30. *Joa. Curæi Annal. Siles.* p. 62. *Jac. Schickfusii Chronic. Siles.* lib. II. cap. III. f. 14. *Hartknochii Prussia Vet. & Nov.* P. II. cap. I. f. 271. *Prætorii Orb. Goth.* lib. II. p. 180. Aliter *Dlugoss. Hist. Polon.* lib. VI. *Michovii Chron. Pol.* lib. III. cap. 34. f. 125. *Stanislai Sarnitii* lib. VI. *Annal. Pol.* f. 272 *Mart. Cromeri* lib. VII. *Histor. Polon. Johannis Herburti de Fulstin*, lib. VI. *Chronic. Rerum Polon.* cap. IX. pag. 111. edit. Hanov. 1618. 4.

(g) *Donationis Instrumentum* vid. in *Prætorii Orbe Goth.* lib. II. cap. IV. p. 178. *Confirmatio Imperatoris Frider.* II. apud *Goldastum*, in *Actis Imperii*, p. 168. lit. C. adjuncta *renovatione Caroli* IV. A. 1354. p. 172.

(h) *Bulla Papalis*, Viterbii 24. Jul. 1230. signata, inter *Epistolas Gregorii* IX. lib. VIII. n. 290. apud *Raynaldum*, T. I. *Annal.* A. 1230. n. 24. & *Prætorium*, loc. cit. p. 182.-186.

ftrum, Legatis efflagitarunt, (i) ac annuente Pontifice, Romæ, eodem anno 1238. quo VOLQUINUS in prælio contra Lithuanos occubuerat, publicis ritibus, fublato Enfiferorum Ordine, obtinuerunt. (ii) Quo fubjectionis & incorporationis pacto *jura Enfiferorum in Livoniam eique annexas Lettiæ & Curlandiæ provincias, Teutonico Ordini collata*, & hujus Equites fupremum in eosdem dominatum adepti funt. Hinc ab illo etiam tempore Livoniæ Magiftri, *quorum primi*, VINNO & VOLQUINUS, *ab Epifcopis conftituti erant*, deinceps a Magiftro Teutonico, qui ob fubordinationem illam *Supremi* nomen tulit, tanquam *Provinciales*, præficiebantur, primoque loco HERMANNUS BALKE, *provincialis Livoniæ Magifter*, non a Livonis, nec Epifcopis, aut Equitibus quondam Enfiferis, ex fuo gremio, fed *a Supremo in Pruffia Magiftro*, HERMANNO *de* SALTZA, *ex ipfo Teutonico Ordine, nominabatur*, ita ut Livoni, & his annexi populi, immediate a Provincialis fui, atque hoc mediante a Supremi Magiftri, dominio penderent.

anfam ipfis dedit, ut fua in Livoniam & Curlandiam jura in eosdem transferrent,

a quo tempore Livoniæ Magiftri a Supremo Teutonico nominabantur,

inter quos primus Hermannus Balcus

§. IV.

Curlandia fub poteftate Magni Lithuaniæ Ducis, Mendogi

Facta fic utriusque Ordinis conjunctione, & compofita cum Danis lite,

Poft infecutam utriusque Ordinis conjunctionem fucceffus Teutonicorum Equitum majora indies incrementa ceperunt, ut brevi poft de Suprematu cum Epifcopis contenderent. Primum novi Magiftri ftudium & cura fuit provida, pa-

(i) *Sim. Grunovii Defcript. Pruff.* Tract. VII. cap. I. §. 2. *Kelchii Hift. Livon.* P. II. p. 74. *Cafp. Hennenbergeri Expofitio Tabulæ Major. Pruff.* p. 360. 367. *Naucleri Chron.* Gen. XLI. p. 298. *Kojalovicz Hiftor. Lithuan.* P. I. lib. III p. 89.

(ii) *Ruffovii Chronic. Livon.* p. 15. *Matth. Waiffelii Chronic. Pruff. Livon. Curl.* p. 54. *Alex. Guagnini Sarmat. Europ.* apud *Piftorium*, Tom. I. *Scriptor. Polon.* p. 64. *Petri Dusburg. Chronic. Pruff.* Part. III. cap. XXVIII. pag 113. edit. Lipf.

pacem cum Danis quacunque ratione ſtabiliendi, quorum Legati cum reſtitutionem Eſthonicarum provinciarum, *Harriæ* & *Wyrriæ*, cum *arce Revalenſi*, quotidie urgerent, Equites autem continua ipſarum poſſesſione ſeſe exuere nollent, interveniente tandem Pontificis Legato, GUILIELMO, Mutinenſi Epiſcopo, atque *definitiva Supremi Magiſtri ſententia*, ex qua ſola hujus in Livoniæ Magiſtros autoritas elucet, hoc pacto lis compoſita fuit, ut Harrienſis & Wyrrienſis ditiones, cum munimento Revalenſi, WALDEMARO Regi cederent, reliqua vero Eſthonia & Jervia penes Ordinem permanerent. (*k*) Pacata ſic controverſia Teutonici Equites quod reliquum erat in Curlandia & Semgallia infidelium paulatim ſubjugare coeperunt. *Semgalenſi* Epiſcopo, in favorem Metropolitanæ Rigenſis, autoritate Papali, atque conſenſu Præſulis Rigenſis, Livoniæque Magiſtri, A. 1245. ſublato, una redituum pars Epiſcopo, binæ autem Ordini, aſſignatæ fuerunt, (*l*) cujus proinde dominium firmiores indies radices egit, ſuaque jura dilatavit. THEODORICUS GRONINGENSIS, novus Livoniæ Provincialis, a Supremo Pruſſiæ Magiſtro, CONRADO, Thuringiæ Landgravio, in HENRICI HEIMBURGII locum A. 1247. ſuffectus, ulterius in Curlandiam penetrans, aliquot munimenta, inter hæc *Goldingam* atque *Ampotam*, exſtruxit & præſidiario milite cuſtodivit. (*m*) Incolæ autem ad novam religionem armis perſuaderi abnuentes, ob Sacrorum paritatem potius MENDOGO, Magno Lithuaniæ Duci, ſe ſubjecerunt, (*n*) qui ſuo etiam milite ipſorum munimenta cuſto-

Equites reſiduum Curlandiæ & Semgalliæ ſubigere, imo de Suprematu cum Epiſcopis contendere, cæperunt,

Livoniæ Magiſter aliquot munimenta in Curlandia exſtruxit,

Incolæ autem religionis & dominii pertæſi, Mendogo, Magno Lithuaniæ Duci, ſe ſubjecerunt.

(k) *Matth. Waiſſelii Chronic. Pruſſico-Livonico-Curland.* p. 61. *Joh. Meurſii* P. II. *Hiſt Dan.* lib. I. p. 22. Ipſa *transactionis formula*, Stenbyæ VII. Id. Maji A. 1238. ſignata, apud *Pontanum*, lib. VI. *Hiſt. Dan.* p. 319.

(l) *Inſtrumentum ſublationis*, a Petro Albanenſi & Wilhelmo Sabinenſi Epiſcopis, Lugduni d. V. Mart. 1245. ſignatum, vid in *Chriſt. Nettelbladt* Faſc. I. *Rerum Curlandicarum* n. VI. pag. 150

(m) *Ruſſovii Chron. Livon.* p 18. *Waiſſelii Chron.* p. 73. & *Schutzii Deſcript. Pruſſ.* lib. I. f. 26.

(n) *Kojalovicz Hiſt. Lithuan.* P I. lib. IV. p. 96. *Matth. Michovius* & *Alex. Guagninus*, locis citatis.

ſtodire aggreſſus, ſed crebris propterea bellis ab Ordine laceſſitus, tandem a ſubſecuto Livoniæ Magiſtro, ANDREA STUCKLANDIO, ad incitas redactus, integræ Curlandiæ renunciare, partemque Lithuaniæ cedere, imo pacem, quibuscunque victorum conditionibus, inire coactus eſt, (*o*) dato deinceps Chriſtianis Sacris nomine, vel ſimulata potius, in favorem pacis, & ſatisfactionem Pontificis Equitumque, Chriſtianiſmi profeſſione, in Lithuaniæ Regem inauguratus. (*p*) Ex qua periodo, licet breviſſima, hoc ſaltem de ejusdem forma Regiminis licet concludere, quod Curoni etiam eo tempore, quo a Livoniæ Dominis ſeceſſionem fecerant, ne quidem Liberi Status jura deguſtaverint, ſed pleno Magni Lihuaniæ Ducis dominio ſubjecti fuerint, ac cum transacto inter dominos provinciarum reditu ad Livoniæ Magiſtrum, ſimul in ejusdem poteſtatem denuo tranſierint.

& aliquot annos, absque libertatis uſu, ipſius dominio paruerunt;

§. V.

Curonum reditus ad Livoniæ Magiſtrum, renuntiante Mendogo

Reverſo autem ad patrios Lares Mendogo, Curlandi ad priſtinos dominos rediere, qui pan-

Quamvis quidem hac compoſitione inita Teutonici Equites, in priſtina Curlandiæ poſſeſſione ſtabiliti, multis deinceps bellis a MENDOGO, Lithvaniæ Rege, pactorum poenitentia ducto, laceſſerentur, (*q*) ſecundo tamen Marte partas ſuſtinuerunt provincias, ac inutili reddito hoſtili impetu,

(o) *Dlugoſſi Hiſtor. Polon.* lib. VII. *f.* 723. 759. *Abrah Bzovii Contin. Annal. Baron.* ad A. 1252. n. V f. 606. *Henr. Spondani Annal.* ad A. 1252.

(p) *Literæ* Pontificis *Innocentii* IV. ad *Mendogum*, quibus *eundem Regem declarat*, datæ Mediolani, XVII. Kal. Aug. 1251. itemque aliæ, ad *Epiſcopum Culmenſem*, ibidem ſubſcriptæ, *nobisque Regis inaugurationem committentes*, habentur inter ipſius *Epiſtolas*, lib. IX. n. 1. 3. & apud *Raynaldum*, Tom. I. *Annal.* ad Annum 1251. num. 44. 45.

(q) *Kojalovicz Hiſt. Lithuan.* P I p. 98. *Dlugoſſi Hiſt. Pol.* lib. VII. pag 759. *Abrah. Bzovii Contin. Annal. Baron.* T. I. f. 630. ad A. 1254. n. VIII. *Ruſſovii Chron. Livon.* pag. 22. *Michovii Chron. Pol.* lib. III. cap. 55.

petu, brevi tempore renitentes adhuc Semgallos variis prælìis, usque ad A. 1287. sub CONRADO HERTZOGENSTEIN, Livoniæ Magistro, plane subegerunt, (r) & postquam seculo subsequente a WALDEMARO III. Daniæ Rege, numorum subsidiis pro itinere Hierosolymitano indigente, cessas quondam Esthoniæ provincias, Harriam & Wyrriam, cum urbe Revaliensi, pretio novendecim millium argenti puri librarum, A. 1347. redemissent, (s) insuperque in controversa dudum cum Episcopis circa suprematum causa, arbitrio Summi Pontificis definitivo, A. 1390. superioritatem in Episcopos, licet his invitis, obtinuissent, (t) *integram Livoniam*, eoque spectantes *Esthoniæ*, *Lettiæ*, *Curlandiæ* & *Semgalliæ*, provincias in potestatem suam redegerant, quæ omnes immediate provinciali Livoniæ Magistro, mediate autem Supremo Ordinis in Prussia Magistro, parebant, qui Livonensium Præsides, vi summæ potestatis, constituebat, donec WALTHERUS PLETTENBERGIUS illud obsequii vinculum, quo a prima subjectione A. 1238. adstricti erant, soluta conspicua

lo post integra Semgallia subacta,

& recuperata jure emtionis Esthonia,

itemque obtenta superioritate in Episcopos,

integræ Livoniæ & Curlandiæ Domini fuerunt,

a Supremo tamen in Prussia Magistro pendentes,

donec Plettenbergius hoc obsequii vinculum

(r) *Alex. Guagnini Sarmat. Europ.* apud *Pistorium*, Tom. I. *Script. Polon.* pag. 68. *Russovii Chron.* pag. 27. 30. *Johannis Caspar. Venatoris Histor. Ord. Mariani*, pag. 60. sq.

(s) *Russovii Chronic. Livon.* p. 39. *Sal. Henningii Chron. Livon. Curland.* f. 16. *Joh. Lud. Godofredi Inventar. Suec.* P. I. f. 11. *Pontanus* autem, *Hist. Dan.* lib. VIII. p. 475. & *Meursius*, P. II. *Hist. Dan.* lib. I. pag. 81. hæc ad A. 1346. referunt, & *venditionis summam octodecim millium marcarum* determinant, simul commemorantes, eundem *Waldemarum* simili ratione paulo ante Scaniam & Hallandiam, *Magno*, Sueciæ Regi, A. 1343. vendidisse, cujus *Instrumentum* in *Du Mont Corp. Diplom.* T. I. f. 224. ex quo tamen perperam concludit *Zschackvitzius*, T. II. *Prætensionum Illustrium*, Sect. IV. p. 110. *Teutonicos Equites Curlandiam & Semgalliam a Daniæ Rege emtionis jure obtinuisse*, quam ultra centum annos antea armis iam occupaverant, nulla Curlandiæ ratione in *Instrumento venditionis* habita, quod ad solam Esthoniam restrictum erat.

(t) Vid. *Christ. Kelch*, P. III. *Histor. Livon.* p. 127. *Waisselii Chron.* loc. cit. *Martin. Cromerus* expressis circumstantiam addit, *causam Ordinis munere 15. millium solidorum aureorum suffultam*, maximum sententiæ definitivæ pondus addidisse, *Histor. Polon.* lib. XV. pag. 358.

vulum dissolveret,

cua nummorum summa, A. 1521. demum dissolveret, (*tt*) quæ sublatio sane inutilis & supervacanea judicaretur, si jam antea ab illo observantiæ nexu exemti, vel liberis suffragiis, ac quodam Magistros suos eligendi jure, gavisi fuissent. Contigit autem illa dimissio occasione belli inter SIGISMUNDUM I. Poloniæ Regem, & Supremum in Prussia Magistrum, ALBERTUM, Marchionem Brandenburgicum, per biennium gesti, & mediante hujus subjectione, cum Teutonici in Prussia Ordinis abolitione, tanquam imagine subsecuti deinceps ejusdem in Livonia interitus, demum finiti; Quæ binæ epochæ quoniam insigni harum provinciarum mutationi ansam dederunt, atque posterioris occasione subnatus Curlandiæ Ducatus, ad similitudinem prioris Prussici institutus fuit, operæ erit pretium & argumenti scopus, utramque periodum brevibus seorsim illustrasse.

occasione belli cum Sigismundo Rege,

quod Teutonici in Prussia Ordinis interitum secum traxit

§. VI.

Teutonici Ordinis in Prussia interitus cum origine Ducatus Prussici

Postquam enim Equites, præter continua cum exteris dissidia,

Quum medio Seculo XIV. Teutonici Equites, perpetuis belli dissidiis cum Lithuanis impliciti, a Polonis quoque, propter Culmensis & Dobrinensis tractuum, nec non quarundam Pomeraniæ terrarum, possessionem, conturbarentur, (*u*) ancipite diu Marte & alternis invicem dimicuerunt victo-

(tt) *Russovius*, *Schützius*, *Chytræus*, annum 1513. ponunt, quem *Henninges*, T. IV. *Oper. Geneal.* pag. 350. & *Leonh. Wurfbain*, in *relat. histor. Habsb. Austr.* p. 191. sequuntur. *Diploma* autem ipsum, quo *Plettenbergio* obsequium remittitur, Regiomonti, die D. Michaeli sacro A. 1521. datum est, teste *Schurtzfleisch.* l. c. p. 336.

(u) *Privilegium Henrici VII. de terris Pomeraniæ*, Ordini A. 1311. concessum, inter *Goldasti Acta Imperial.* pag. 170. *Decisio Pontificis Joh. XXII. in hac lite*, apud *Dlugoss. Hist. Pol.* lib. IX. p. 977. *Compromissum Caroli & Johannis*, Hung. & Bohem. Regum, *super hac causa*, ibidem p. 1033. & in *Du Mont Corp. Dipl.* T. I. P. II. f. 151. *Interdi-*

victoriis, donec exeunte Seculo, A. 1386. felici VLADISLAI JAGELLONIS cum HEDVIGE, Poloniæ Principe, connubio, (*x*) Lithuania Regno Poloniæ juncta, (*y*) novus Rex jura sua majori prosequeretur vigore, eorundemque decisionem variis committeret conflictibus, (*z*) quos inter Tannenbergensis maxime fuit notabilis, quo ambæ partes, cæsis utrimque centum millibus, & inter hos ipso Supremo Magistro & centum aliquot Equitibus, adeo exhaustæ fuerunt, ut pace etiam mox secuta vires vix potuerint colligere. (*a*) Hac pessima rerum facie insignis Equitum notari meretur nævus Politicus, quod durius suos habere cœperint, (*b*) ipsique causam præbuerint, ut ultra viginti urbes, grave cervicibus jugum excutere ratæ, CASIMIRO, Poloniæ Regi, se subjecerint, atque ipsius Regno A. 1454. insertæ fuerint, (*c*) quod novo tredecennali bello natales dedit, (*d*) sub cujus primordiis fausto quidem pugnarunt omine Equites, (*e*) mox vero

præcipue post Lithuaniæ cum Polonia unionem,

intestino quoque conflictabantur hoste,

complures Borussiæ urbes se Regi Poloniæ subjecerunt,

unde tredecennale bellum,

---

ctum Imp. Lud. Bavari, Theodorico Altenburgensi, Supremo Magistro, *de non reddendis suæ possessionis rationibus,* A. 1338. datum, in *Goldasti Actis Imper.* p. 171. lit. E. *Sententia definitiva Pontificis, Benedicti* XII. Toletani, de A. 1339. apud *Dlugossum* l. cit. p. 1045. & *Du Mont,* l. c. f. 175.

(x) *Jod. Lud. Decii de Jagellonum familia,* f. 34. ad calcem *Michovii Chronic. Pol,* edit. Cracov. 1521.

(y) *Casp. Schutzii Descript. Pruss* lib. III. p. 95. edit. Zervest. 1592. *Christoph. Hartknoch Pruss. Vet. & Nov.* P. II. cap. II, f. 305.

(z) *Russovii Chron. Livon.* p. 44. *Kojalovicz Hist. Lith.* P. II. lib. II. p. 68 sqq. *Martin. Cromeri Hist. Pol.* lib. XV. in *Collectione Pistor. Scriptor. Pol.* P. II. p. 635.

(a) *Kajalovicz Histor. Lith.* p. 86. *Joh. Christoph. Beckmanni Observat. de Ordine Johannit.* cap. I. pag. 24. *Alex. Guagnini Sarmat. Europ.* apud *Pistorium,* T. I. fol. 59. *Schutzii Descript. Pruss* lib. III. f. 113. exstructo, in memoriam hujus stragis, ibidem sacello, præter annum & diem prælii, hac signato Epigraphe: *Centies mille occisi.* Vid. *Anonymi Angli Descript. Livon.* Epist. V. p. 73.

(b) *Matth. Waisselii Chronic. Pruss. Livonico-Curland.* a p. 144. ad 166.

(c) *Jacobi Schickfusii Chronic. Siles.* lib. I. c. 35. p. 114. *Incorporationis Instrumentum* vid. in *Jac. Prilusii Statut. Regni Pol.* lib. V. cap. III. p. 751.

(d) *Dionysii Runavii Descriptio belli tredecennalis in Prussia,* ab A. 1454 ad A. 1466. Witteb. edit. 1582. 4. *Hartknochii Pruss. Vet. & Nov.* P. II. cap. II. f. 318.

(e) *Joach. Curai Annal. Siles.* p. 151. & *Jac. Schickfus,* loc. cit.

ro plerisque inferiores præliis, (*f*) ſub LUDOVICO *ab* ERLICHSHAUSEN, Supremo tum Magiſtro, duras pacis conditiones a Rege CASIMIRO amplecti, *Culmenſi* & *Michalovienſi tractibus, aliisque urbibus, renunciare, Poloniæque Regibus homagium præſtare*, A. 1466. coacti ſunt. (*g*) Per hanc igitur diviſionem ſummopere debilitati, pro conſervando Ordinis ſui flore, Supremi Magiſterii dignitatem in potentes Germaniæ Principes derivare ſtuduerunt, & hinc FRIDERICUM, Saxoniæ Ducem, eoque defuncto, ALBERTUM, Marchionem Brandenburgicum, ineunte ſeculo XVI. Supremos Magiſtros elegerunt. (*h*) Hic ultimus etiam, non obſtante conſanguinitatis vinculo, (*i*) bellum contra SIGISMUNDUM, Poloniæ Regem, ſtrenue proſecutus eſt, (*k*) ac in ſubſidium impendendorum ſumtuum WALTHERO PLETTENBERGIO, Livoniæ Provinciali, obſequium, quo Supremo in Pruſſia Magiſtro anteceſſores ipſius ab A. 1238. devincti erant, ſoluta conſpicua pecuniæ ſumma, A. 1521. remiſit; (*l*) verum durante biennali bello imparem ſe Regi cernens, imo pactis ad quadriennium induciis omni exterarum copiarum auxilio deſtitutus languens, pacem Regi SIGISMUNDO obtulit, (*m*) certisque conditionibus omnes Pruſſiæ terras eidem

pace Thorunienſi, primo ſubjectionis fundamento, ſopitum,

quam Marchio Albertus,

ſublato Ordine ſuo A. 1525. perfecit,

(f) Teſtibus *Cromero*, lib. XXIV. XXV. ejusque Epitomatoribus, *Joh. Herburto de Fulſtin*, lib. XVI. c. XII. XIII. p. 302. ſqq. *Salom. Neugebauero*, *Hiſtor. Pol.* lib. V. & VI. edit. Hanov. 1618. 4.

(g) *Chriſt. Kelch*, *Hiſt. Livon.* P. III. p. 143. *Caſp. Schütz*, lib. VII. f. 330. *Inſtrumentum Pacis Thorunienſis*, d. 19. Oct. 1466. apud *Priluſium*, lib. V. cap. III. f. 724. cum *confirmatione Maximil. I.* de A. 1515. ibid. f. 758. & *Caroli V. literis exhortatoriis ad Albertum*, p. 762. *Formula homagii Regi præſtiti*, p. 731. & 753.

(h) *Jod. Lud. Decii Hiſtoria Regis Sigismundi* ad A. 1516. f. 74. ad calcem *Michovii Chron. Polon.*

(i) Matre *Sophia*, Regis *Caſimiri IV.* filia, *Sigismundi I.* ſorore, natus.

(k) *Dionyſii Runavii Hiſtoria brevis belli biennalis inter Sigismundum I. & Albertum Brand.* annexa citatæ Hiſtoriæ belli prævii tredecennalis.

(l) Vid ſupra §. V. nota (tt)

(m) *Leonis X. Pontificis literæ ad Albertum, pacis ſuaſoriæ*, Romæ d 26. Dec. 1521. ac *Caroli V. Imperatoris propoſitio per Legatos ad Sigismundum Regem*, apud *Priluſium*, in *Statut. Regni Polon.* lib. V. cap. III. p. 760.

eidem A. 1525. subjecit, (n) atque solenni deinceps investitura cum Ducali dignitate, præstito homagio, in feudum accepit, (o) Ordine Teutonico in Prussia cessante. *Borussiæ Dux creatus*

§. VII.

Similis Teutonici Ordinis in Livonia interitus, & origo Ducatus Curlandici

Ingravescentibus pariter intestinis in Livonia, Ordinem inter & Episcopos, de Suprematu dissidiis, succedentibus quoque externis e Lithuania turbis, pessima Status publici facies mox apparere cœpit, ex quo Episcopi, definitiva Bonifacii Pontificis sententia condemnati & causa lapsi, (p) quibuscunque utebantur mediis, exacerbati hinc animi livorem contra Equites effundendi, eosdemque, vocatis in subsidium vicinis Lithuanis, Russis & Samogetis, debellandi. (q) Hisce intrinsecis Livoniæ motibus invigilans Magnus Russorum Dux, JOHANNES BASILIDES, altaque repositam mente ferens insignem quondam, sub antecessoribus suis, a Livonis Equitibus, A. 1501. PLETTENBERGIO Duce, acceptam cladem, (r) tempus esse duxit, exspirante præsertim inita ad dimidium seculum pace, luctantem inter- *Intestini perinde in Livonia motus* *exteris invasionibus viam aperiunt;* *In turbido piscaturus mari Johannes Basilides*

(n) *Instrumentum Pacis*, Cracoviæ A. 1525. signatum, in *Goldasti Actis Imperial.* p. 175. G. & *Prilusio*, p. 762. *Formula consensus Ordinum Prussiæ*, d. 9. April. 1525. ibid. p. 775.

(o) *Kojalovicz. Hist. Lith.* P. II. Lib. VII. p. 382. *Investituræ formula* apud *Prilusium*, loc. cit. p. 770.

(p) *Casp. Schützii Descriptio Pruss.* loc. cit. *Christ. Kelchii Hist. Livon.* P. III. p. 127. *Martin. Cromeri Hist. Polon.* l. c.

(q) *Kojalovicz. Hist. Lith.* P. II. lib. II.

(r) *Salom. Henningii Chron. Liv. Curl.* f. 1. *Tilem. Bredenbachii Descript. tertii Belli Livon.* in Collectione Pistoriana *Script. Polon.* P. III. f. 55. & Wecheliana *Moscoviticorum*, f. 227. *Alex. Guagnini Sarmat. Europ.* fol. 7. edit. Cracov. 1578. f. & Tom. II. *operum*, edit. Francof. 1584. 8. *Sigism. de Herberstain Comment. Rer. Moscovit.* fol. 115. edit. Basil. 1571. f. *Jo. Leunclavii Descriptio bellorum a Russis contra vicinos gestor.* dictis Commentariis annexa.

interno hoste Livoniam adoriendi, eoque facilius subigendi. (*s*) Victor itaque a Casanensibus & Astracaniis A. 1551. redux, atque Tartarorum Imperator salutatus, (*t*) numerosissimum omnique apparatu bellico instructissimum in Livoniam duxit exercitum, & quamvis Equites ad extremas redacti angustias semel iterumque per Legatos, precibus, promissis & præmiis, inducias obtinuissent, bellumque per aliquot annos distulissent, (*u*) tandem vero, præscriptis conditionibus intra terminum haud adimpletis, (*x*) Russorum copiæ A. 1558 Livoniam inundarunt, oppidisque & arcibus compluribus occupatis, ferro flammaque omnia late vastarunt. (*y*) Accesserant novi intestini motus inter Livoniæ Magistrum & Archiepiscopum Rigensem, propter cooptatum in Præsulatus consortium, CHRISTOPHORUM, Megapolitanum Ducem, (*z*) quem utrumque Magistri Coadjutor, GUILIELMUS FüRSTENBERGIUS, in arce Rigensi obsidione premebat atque captivum detinebat, (*a*) donec

arma in Livoniam movet,

copiis omnia inundat,

hinc supervenientibus turbis ob Coadjutorem Megapolitanum

(s) *Henning Chronic. Livon. Curl.* p. 3. *Kelch, Hist. Livon.* p. 193.

(t) *Pauli Oderbornii Vita Joh. Basilidis, Magni Moscoviæ Ducis*, ad Henr. Julium, Duc. Brunsvic. Witteb. 1585. 8. & in *Collectione Wecheliana Scriptor. Moscov.* p. 240.

(u) *Thuani Histor. sui temporis*, lib. XXI. edit Londin. Tom. I. f. 717.

(x) *Classicum* hujus belli, seu *Joh. Basilidis Epistola ad Equites, belli denunciatoria*, extat in Collectione Wecheliana *Scriptor. Moscovit.* p. 216. & *Sim. Schardii* Tom. III. *Rer. German.* p. 41. *Causas belli in ipsa Russorum Cancellaria descriptas*, & ad Ferdin. I. Imperat. transmissas, vid. apud *Russovium, Chron. Livon.* P. II. p. 69.

(y) *Salom. Henningii Chron.* P. I. f. 11. Russorum immanitates describit *Tilem. Bredenbachius*, vel sub hujus stilo, *Philippus Olmen*, qui literis, ad calcem *Descriptionis tertii Belli Livonici*, apud *Wechelium* p. 239. annexis, testatur, se ipsum præsentem omnia oculis suis usurpasse. Edita est illa descriptio seorsim Duaci 1564. 4. itemque in T. III. *Collectionis Pistorianæ Script. Pol.* f. 55. ubi Russorum copiæ ad trecenties mille supputantur.

(z) Per *transactionem Volmariensem*, A. 1546. convenerant Episcopi & Magister, ut neuter ipsorum extraneum quendam in Coadjutorem adscisceret. *Henningii Chronic.* p. 3.

(a) *Sim. Schardii de vita & obitu Sigismundi Augusti*, apud *Pistorium*, T. III. *Scriptor. Pol.* f. 64. *Kojalovicz*, P. II. lib. VIII. p. 429. *Russovii Chronic. Livon.* p. 66. sq.

donec a SIGISMUNDO AUGUSTO, Poloniæ Rege, liberaretur. (b) *Curoniensis* insuper Episcopus, IOHANNES a MUNCHHAUSEN, suum & *Osiliensem* Episcopatus, metu periculi adductus, FRIDERICO II. Daniæ Regi, A. 1559. vendidit, cujus frater, MAGNUS, Holsatiæ Dux, eosdem loco paternæ hæreditatis, A. 1560. dono acceptos mox seculo addixit, aliasque illuc spectantes terras sibi vindicare cœpit, ut parum abesset, quin novum inde intestinum bellum inter novum hospitem & Eqvites conflatum fuerit. (c) Hac perturbata rerum facie Livoni ad Imperii Ordines confugiunt, opemque implorant, (d) sed ob continua ejus contra Turcas bella repulsam ferentes, (e) oppignoratis Poloniæ Regi quibusdam arcibus, numorum subsidia obtinent, militumque præsidia in potiora munimenta recipiunt, (f) hinc ad Sueciæ Regem, GUSTAVUM, & hoc defuncto, ad ejus filium, ERICUM XIV. se convertunt, pecuniarum aut copiarum auxilia efflagitantes. Verum cum ille non alia conditione, nisi præviæ plenæ in potestatem Regni Sueciæ subjectionis suppetias ferre promitteret, (g) viciffim Equites tali pretio Suecorum subsidia abnuerent, interea autem Esthones atque Revalienses, facta defectione, Suecicæ clientelæ se committerent, (h) GOTT-

& venditum Episcopatum Curoniensem,

deficientibus quoque Germanorum

& Suecorum suppetiis

Kettlerus, Livoniæ Magister, ad incitas redactus,

(b) *Alex. Guagnini Sarm. Europ* f. 8. edit. Cracov. 1578. & apud *Pistori um*, T. I. f. 71. *Thuani Hist. sui temporis*, lib. XXI. T. I. f. 712. edit. Lond *Bredenbachii Descriptio belli Livon.* in Collect. Wechel. p. 226.

(c) *Christ. Kelchii Hist. Livon.* P. III. p. 245. it. *Deductio Juris Curl. Duc. in Districtum Piltensem*, inter *Anecdota Curlandiæ* a *Nettelbladtio* 1736. edita, num VII. p. 78.

(d) Vid. *Epitome Rerum sub Ferdin.* I. *memorabilium*, in *Sim. Schardii* Tom. III. *Script. Germ.* f. 134. *Pauli Oderbornii vita Joh. Basilidis*, P. II.

(e) Vid. *Recessus Imperii Augustanus* A. 1559. §. 12. in *Franc. Frid. Andleri Corp. Constitut* T. I. f. 555. *Joh. Henr. Bœcleri Diss. de acquisito & amisso Imperii in Livoniam jure*, Argentorati 1711. habita.

(f) *Kojalovicz. Hist. Lith.* P. II. lib. VIII. p. 438. *Henningii Chron. Livon. Curland.* P. I. f. 22. *Kelch*, p. 239. 241.

(g) *Russovii Chron. Livon.* P. II. p. 80. *Kelchii Histor. Livon.* P. III. p. 251. *Henningii Chron* p. 25.

(h) *Russov* l. c. p. 82. *Joh. Casp. Venatoris Hist. Ord. Mariani*, p. 322. sq.

GOTTHARDUS KETTLERUS, tum temporis, post abdicationem FURSTENBERGII, Livoniæ Magister, initum jam antea de protectione Regis Poloniæ consilium (*i*) sine mora nunc exequendum statuit, omni alia salutis via præclusa. Hinc prævia cum Archiepiscopo & Eqvitibus deliberatione, publico & concordi omnium consensu, *se provinciamque suam in fidem & potestatem Regis Poloniæ tradidit, ac in perpetuum ditionibus dominiisque Regni ejus, ad instar terrarum Prussiæ, adjunxit & incorporavit*, (*k*) solutoque subditorum juramento, quo hactenus sibi devincti fuerant, eosdem pari fide ac observantia nunc Regi devinciendos admonuit, dataque insuper cautione, ne ab Ordine Teutonico unquam deinceps impeterentur, certiores reddidit. Rex itaque SIGISMUNDUS AUGUSTUS, commiseratione afflictissimæ Provinciæ & amore totius Reipublicæ adductus, misso NICOLAO RADZIVIL, Palatino Vilnensi, Duce Olycensi & Nieswiezensi, Livoniæ Ordines in clientelam suam recepit, omni hinc ab Imperio in ipsos forsan redundaturo damno & præjudicio immunes sanxit, certisque pactorum conditionibus, ex ipsorum voto, subjectionis modum uberius illustrari, clementissime annuit. Confectis hinc tabulis, iisdemque Regis manu & majori sigillo, d. 28. Nov. 1561. rite communitis, RADZIVILIUS, Princeps, in Livoniam anno sequente redux, a KETTLERO, Livoniæ Magistro, insignia præteriti muneris, crucem auream ac sigillum Ordinis, nec non diplomata ejusdem & literas, itemque claves arcis & urbis

se suasque provincias Regi Poloniæ subjicit,

Ordine suo & rerum summa se abdicat,

Vicissim a Rege Ducalem titulum,

(*i*) *Kojalovicz. Hist. Lith.* P. II. lib. VIII. p. 446. collimantibus huc verbis, statim sub exordio pacti subjectionis ita sonantibus: *Cum terra Livoniæ nobis & vicinitate & multis, partim antiquis, partim novis, pactis & fæderibus devincta & consociata, &c.*

(*k*) Tenore ipsissimorum verborum sub exordio XXVII. *Articulorum, ab Ordinibus Regi exhibitorum*, atque in ipsorum favorem Vilnæ, A. 1561. a Rege ratihabitorum, inter *Privilegia & Jura præcipua Ducat. Curl. & Semg.* Varsoviæ 1719. 4. edita, n. 2. p. 25. & inter *annexa Documenta*, n. II.

urbis Rigensis, publice recepit, eundemque mutato statu & abdicato Ordine, prævio fidelitatis homagio, A. 1562. solenni ritu *Ducem Curlandiæ & Semgalliæ* eventualiter investivit, (*l*) concessis interim in feudum iis provinciis, quarum determinatio atque incorporatio cum Poloniæ Regno & Magno Lithuaniæ Ducatu ad reditum Regis & prævium Senatorum Regni consensum remissa, & publicis demum tabulis A. 1569. confirmata est. (*m*)

terramq; Curlandiæ eventualiter in feudum obtinet,

paulo post confirmatum

§. VIII.

Potiores cum origine Ducatus Curlandici stipulatæ conditiones.

Omnes dictæ subjectionis Livonicæ Articulos hic recensere superfluum foret & a scopo alienum, cui suffecerit, illa saltem capita, quæ ad illustrandam feudi Curlandici naturam, eruendaque utriusque partis & Domini & Vasalli reservata jura, conducere queunt, paulo curatius illustrare. In antecessum cuilibet obvium est, SIGISMUNDUM AUGUSTUM, Poloniæ Regem, cum integro totius Livoniæ eique insertarum provinciarum corpore pacta iniisse, nulla autem separatim cum Curlandiæ Ordinibus, multominus solis ejusdem Proceribus, transegisse, siquidem in ipsa subjectione nondum separabatur

Pacta subjectionis

generatim cum tota Livonia,

non sola Curlandiæ, Nobilitate inita

 Cur-

(l) *Stanislai Sarnicii Annal. de Orig. & Reb. Gest. Polonor.* lib. VII. p. 399. edit. Cracov. 1587. *Pauli Piasecii Chronic. Gestor. in Europa Singularium,* p. 59. 60. edit. 1648. f. *Russovii, Waisselii, Kelchii, Henningii, Chronic.* loc. cit. *Joh. Henr. Bæcleri Diss. de acqvisito & amisso Imperii Rom. Germ. in Livoniam jure*, p. 64. Argentorati 1711 habit. *Formula homagii a Livoniæ Magistro præstiti* vid. in Collectione Varsoviensi *privileg. Curl.* n. V. p. 55. edit. 1719. 4. & p. 20. edit. 1736. f. hinc inter annexa documenta n. III.

(m) *Incorporationis formula* vid. in *Nicol. de Chvvalkovv Chvvalkovvsky Jure Publ. Regni Polon.* lib. IV. §. 8. p. 511. edit. 1683. 4. in *Du Mont Corp. Dipl.* T. V. part. I n. 83. f. 169. inter *privilegia Duc. Curl.* Varsoviæ 1719. edita, n. 6. p. 56. vel juxta editionem 1736. p. 21. & inter *annexa documenta*, n. VI.

Curlandia a reliquo Livoniæ complexu, ſed incertum & indeterminatum relinquebatur, quænam provincia novo Duci in feudum adjudicaretur, adeoque ſane nihil de non ente poterat prædicari & transigi, quæ etiam ratio eſt, quare nunquam titulo aliquo diſtincto Nobilitas Curlandiæ & Semgalliæ, neque in pactis, neque in privilegiis, ſeorſim nominata vel commemorata deprehendatur. Secundo etiam loco hoc generatim,

& ad normam quondam Ducatus Pruſſici,

præmittendum eſt, Ducatum hunc Curlandicum juxta normam erecti quondam Ducatus Pruſſici fuiſſe inſtitutum, ad cujus conformitatem tam in ſubjectionis pacto, quam privilegiorum articulis, nec non Regiminis formula, ſubinde provocatur, (*n*) ut hinc de poſterioris Curlandici natura judicaturi, ex prioris Pruſſici, tanquam præſcripti exempli, conditionibus in memoriam revocare debeant, quemadmodum circa hunc in trans-

vigore transactionis Cracovienſis Feudatarii, inſtructa,

actione Cracovienſi A. 1525. inter SIGISMUNDUM I. Poloniæ Regem, & ALBERTUM, Marchionem Brandenburgicum, primum Pruſſiæ Ducem, concluſum fuerit, ut *dictus Marchio Regiæ Majeſtati & Regno Polon. juramentum, uti naturali & hæreditario Domino ſuo, præſtaret, ſeque in omnibus, ſicut Principem vaſallum, erga Dominum ſuum hæreditarium, de jure decet, obedientem exhiberet*, itemque ut *privilegiis ſuis, dictæ transactioni & ſuperioritati Regiæ Majeſtatis non repugnantibus, uteretur*, hinc ergo *nihil de Principatu & terris ſuis absque prævia Regis conceſſione venderet*, tandem vero, ut *decedentibus omnibus maſculis, legitimiſque feudi hæredibus, ſupradictæ Pruſſiæ terræ ad Regiam Majeſtatem, Regnumque Poloniæ, hæreditarie redirent & reciderent.* (*o*) Eædem

ſimiles huic ſecum ferunt conditiones,

ergo conditiones, absque ulteriori illuſtratione & ſpeciali recenſione, de Ducatu Curlandico, *ex præſtabilita cum Pruſſico conformitate*,

(n) *Tractatus ſubject.* Art. VII. *Privilegia Nobilitati conceſſa*, in Procemio, *Formula Regiminis*, de A. 1617. §. Vaſallagium Principis quod attinet &c.

(o) *Inſtrumentum* horum pactorum vid. apud *Priluſium*, lib. V. cap. III. p. 762. *Literas inveſtituræ* ibid. f. 770. inter Privil. Ord Pruſſ. Brunsberg. 1616. p. 32.

te, subintelligendæ & applicandæ erant. Nihilo tamen minus expressis insuper formulis, pro determinanda feudi natura, cautum fuit, *ut Dux Curlandiæ vasallus & feudatarius Princeps Regni Poloniæ foret, atque in ea fide, voluntate & observantia constanter permaneret & firmiter perseveraret, tanquam fidelem vasallum, Imperio & potestati Regiæ subjectum, decet;* (*p*) itemque, ut *Ordines fideles & obedientes forent Regi, tanquam Domino & hæredi, ejusque successoribus Regibus, & sese in omnibus fideles, observantes, & obsequentes omni loco & tempore præstarent, omnemque machinationem, quam practicari suboleverint, in præjudicium Regiæ Majestatis, averterent, præcaverent, & pro posse summa fide impedirent;* (*q*) porro, ut *novus Dux ejusque hæredes cum Ducatu Curlandico, Semigallicoque, Regno Poloniæ cum Ducatu Lithuaniæ unito, tanquam uni & indiviso corpori, perpetuis temporibus subjiceretur & incorporaretur, ac in clientela & defensione Regis Regnique permaneret;* (*r*) præterea item, ut *in causis gravioribus provocatio seu appellatio etiam a Principe ad Conventum provincialem & Senatum Regium locum haberet;* nec minus, ut *integrum quoque Duci esset, monetam cudere, hac tamen lege, ut ex una parte effigies Regia, vel insignia Regni Magnique Lithuaniæ Ducatus, exprimerentur;* tandem vero, ut *quicquam de terris Ducalibus oppignorare vel vendere, aut alienare, absque prævia Regis consultatione, neutiquam liceret.* (*s*) Privilegia Ordinibus circa subjectionem concessa summatim religionem, jurisdictionem, dignitatem,

de vasallagio novi Ducis,

de fide & obsequio Ordinum,

de incorporatione cum Poloniæ Regno,

de provocatione ad Regem,

de moneta cudenda,

de non alienando;

In privilegiorum quoque articulis

(p) Tenore *tractatus subjectionis* Art. VII. & in conclusione vel Epilogo, itemque *juramenti Livoniæ Magistri* & *formulæ incorporationis*.

(q) Verba sunt *juramenti*, *ab Ordinibus Livoniæ præstiti*, inter privilegia Ducatuum Curl. & Semg. A. 1719. Varsoviæ edita, n. IV. p. 53. & inter hic subjuncta Documenta, n. V.

(r) Juxta *Incorporationis formulam*, Lublini, 3 Aug. 1569. publicatam, inter *annexa Documenta*, n. VI.

(s) Hi tres Articuli in *subjectionis Tractatu*, vel prima *eventuali Ducis investitura*, a Rege *Sigismundo* I. concessa, exprimuntur, §. 4. *Cum provocat*, §. 18. *Moneta* &c. §. 19. *Si quid* &c. inter annexa Documenta, n. I.

toti Livoniæ Nobilitati indultorum

tatem, ſuperioritatem territorialem, bona, poſſeſſiones, aliasque immunitates, ſupremo dominio haud contrarias reſpiciebant, & tam tenore Articuli III. pactorum ſubjectionis, quam reliquorum viginti ſeptem, a Rege, SIGISMUNDO AUGUSTO, Vilnæ A. 1561. ratihabitorum, articulorum *generatim omnibus Livoniæ Ordinibus* eodem vigore indulgebantur, *nulla Curlandicæ Nobilitatis diſtinctione admiſſa*, adeo, ut quicquid vel expreſſe, vel tacite, in iisdem conceſſum eſt, ad integram ſane tum temporis Livoniæ Nobilitatem extenſum fuerit, nec Curlandiæ Proceribus integrum ſit, in ſui prærogativam aliquid vertere aut ex iisdem pertrahere, quod non ſimul de reliquis Livoniæ Proceribus intellectum fuerit, evidenti argumento, nihil quidquam in patrocinium jactati electionis juris per totum ipſorum contextum, reſtrictive ad ſolam Curlandiæ Nobilitatem inſeri potuiſſe, vel etiamnum ſana conſequentia inde erui poſſe, niſi ſimul idem de reliqua Livoniæ Nobilitate intelligi debuerit, quod tamen non ſolum implicaret, ſed etiam ipſorum menti prorſus adverſaretur. Hinc certum manet atque confectum, in allegatis pactorum conditionibus naturam feudi Curlandici atque ipſius ſubjectionis qualitates, nec non ſupremum Regni Poloniæ dominium, ſicut a parte feudatarii Principis homagiale obſequium, luculenter ſatis fuiſſe ſtabilita, nullamque de quodam vaſallorum, ſupremæ poteſtati nonnihil derogante, liberæ electionis jure mentionem vel reſervationem fuiſſe injectam, id quod ſequente hujus Deductionis membro ulterius jam corroborandum ſupereſt.

nulla ſpeciatim ad ſolos Curlandiæ Proceres reſtringuntur,

in omnibus vero ſummatim ſupremum Poloniæ Regni dominium fundatur

Pars

Pars Altera

Fundatum tam in ſubjectione, quam ipſa feudi natura, ſupremum & directum Poloniæ Regni in Curlandiam dominium ac inde reſultantia in feudum apertum jura, exponens

THESIS I.

Curoniam nunquam fuiſſe Statum Liberum & Electivum, adeoque nec electionis jura ſibi arrogare poſſe

EX præmiſſis hucuſque Curlandici Regiminis mutationibus, cum poſtrema ſubjectione & Ducatus origine collatis, prono fluit alveo, *Curlandiam, tanquam pendentem a Livonia partem, nunquam fuiſſe Statum Liberum vel electivum*, ſiquidem tot diverſis Regiminis ſui periodis ſuffragiorum jura nunquam exercuit, ſed a Livoniæ fatis pendens, illi, qui in eadem victor erat, ſimul paruit, & tanquam provincia bello parta conceſſas a victoribus dominis optionis prærogativas ſperare vix potuit, vel unquam deguſtavit. Summa rerum in Livonia penes Supremum Ordinis Magiſtrum conſtituta, ille Provinciales Livoniæ Magiſtros nominavit atque in fidem recepit, alias ſane ſuperfluum fuiſſet & inane, PLETTENBERGIUM, ſoluto ingenti pretio, obſequium illud A. 1521. a Marchione ALBERTO redemiſſe. (*t*) Hæc itaque Regiminis

Vi præcedentis narrationis

Curlandia, tanquam Livoniæ pars, hujus dominis parebat.

D

(t) Vid. ſupra §. V. nota (tt) *Schurtzfleiſch*, in *addit. ad Hiſt. Ord. Enſif.* p. 336.

nis facies ad trecentos annos subſtitit, durante qua Ordines Livoniæ immediate ſuo Provinciali, & hoc mediante, Supremo Ordinis Magiſtro, dicto audientes erant. A tempore autem dictæ ſubjectionis A. 1561. Curlandia multo minus in liberum Ducatum evecta, ſed ad exemplum quondam Ducatus Pruſſici, ceu normam, adſtricta fuit; Atqui hic a principio neutiquam Liberi Status jure gaudebat, ceteroquin inutile fuiſſet, per *tractatum Velavienſem*, A. 1657. adeoque 132. demum a prima inſtitutione annos, eundem liberum pronunciare, (*u*) cujusmodi remiſſionem & exemtionem Ducatus Curlandicus non poterit allegare. Privilegia Duci & Ordinibus conceſſa nihil minus, quam indultam libertatem, arguunt, ſiquidem hac reſtrictione limitata ſunt, *in quantum libertatibus & juribus Regni Poloniæ non adverſentur*, *aut quidquam derogent*. (*x*) Nec exercitium Regalium, aut actuum ſuperioritatis territorialis, vinculum feudale ſolvunt, ſed in feudum ſimul conceduntur, & juxta feudorum æque leges, (*y*) ac exemplorum teſtimonia, (*z*) cum

poſt ſubjectionem inſtar Pruſſici Ducatus feudali vinculo ligata,

neque per privilegia,

neque per actus ſuperioritatis ſoluta, vel libera,

(u) *Samuel. Pufendorffii de Rebus Geſtis Frider. Wilhelmi M.* lib. VI. §. 71. p. 375. lib. VII. §. 50. p. 433. Ipſum *transactionis inſtrumentum*, d. 19. Sept. 1657. Velaviæ ſignatum, in *Nicol. Zalaszowskii additionibus Juris Regni Polon.*

(x) Juxta tenorem *Incorporationis formulæ*, inter reliqua privilegia n. 6. p. 59. vel annexa documenta n. VI. & *Formulæ Regiminis* A. 1617. §. VI. Principem ſi abeſſe &c. inter Documenta n. X

(y) *Nicol. Chriſtoph. Lynckeri Conſil. & Reſp.* Deciſ. 193. f. 209. *Joh. Nicol. Hertii Conſilior.* P. I. Reſp. 46. f. 110. n. 7. Ejusd. *Diſſ. de Superioritate Territor.* Gieſſæ 1682. *Andr. Knichen de ſublimi & Regio territorii jure*, Francof. 1688. *Joh. Henr. Bœcleri de Superiorit. Territ. Comit. Imp.* Argent. 1710. *Frid. Heilbronneri de Super. territ. Civit. Imp.* Jenæ 1709. *Joh. Laur. Schmid de Superior. territ. Nobil. Imp. immed.* Altorfi 1708.

(z) Imperator *Ludovicus*, Bavarus, *Caſtruccio Caſtraccani* Ducatum *Luccenſem*, d. 15. Febr. 1328. vigore *Diplomatis*, apud *Leibnitium*, Cod. I. G. Dipl. n. 65. p. 130. *Carolus IV. Wenceslao*, fratri, Ducatum *Lucemburg.* Metis A. 1354. vi *inveſtituræ*, apud *Meibomium*, T. III. Rer. German. p. 212. *Fridericus III. Chriſtierno*, Daniæ Regi, Ducatum *Holſatiæ*, tenore *Diplomatis*, 14. Febr. 1474. apud

cum homagiali obſequio utique ſubſiſtunt. Vbi igitur vel immemoriali tempore, vel vigore introductorum deinceps pactorum, nunquam liberæ Reipublicæ forma admiſſa eſt, *ibi quoque nec libera vaſallorum electio, aut ſuffragiorum jus, locum habent.* De libera & abſoluta electione ſermo eſt, quali vel Ordines Imperii Romano-Germanici, vel Reipublicæ Polonicæ, gaudent, quorum ſuffragia nullo alio ſuperiori arbitrio reſtringuntur, vel componuntur, ſed ſuam ex ſe virtutem & efficaciam tenent ac adipiſcuntur, cujuſmodi electionem a Curoniæ Proceribus unquam fuiſſe in uſum deductam, exemplo caret.

hinc nec liberis electionis votis gaviſa,

Tempore, quo alternatim Sueonibus & Danis Livonia parebat, armorum ſors & arbitrium de Dominio decidebat.

neque ſub Sueцis & Danis,

Enſiferi Equites dominatum in Curonia armis ſtabiliverunt.

neque ſub Enſiferis,

Teutonicus Ordo ſuum in Livoniam jus ſubjectione Enſiferorum acquiſivit atque armata manu per omnes ejusdem provincias, Curlandiam quoque & Semgalliam, extendit. Durante propemodum triſeculari ejusdem dominio nequidem Livones, multominus Curlandi, tanquam unica Regionis pars, provincialem Livoniæ Magiſtrum nominarunt, ſed hic a Supremo Ordinis Magiſtro conſtitutus fuit, ita, ut, cum Equites poſt acceptam a Lithuanis cladem, qua ipſe Livoniæ Magiſter, GERSDORFFIUS, A. 1439. ceciderat, in ejus locum Ordinis Mareſcalcum ſurrogari cuperent, nonniſi inſtantibus precibus multaque opera, eundem a ſupremo Magiſtro obtinere potuerint, (*a*) quibus ambagibus ſane ſuperſediſſent, ſi pleno electionis arbitrio fuiſſent gaviſi. Breviſſima periodus, qua ab A. 1535. poſt PLETTENBERGII,

neque ſub Teutonico Ordine,

Leibnit. l. c. n. 189. p. 431. *Sigiſmundus*, Imperator, *Amedeo* Ducatum *Sabaudiæ*, d. 19. Febr. 1416. apud *Leibnitium*, p. 310. *cum omnibus actibus & prærogativis ſuperioritatis territorialis*, in feudum concedunt, *reſervato tamen ſibi ſupremo, directo & eminenti, dominio.*

(a) Teſtibus *Alberto Krantzio*, lib. XI. *Vandaliæ*, cap. XXXV. *Ruſſovio, Chronic. Livon.* P. I. p. 47. *Caſp. Hennenbergero, Chronic. Min.* loc. cit.

BERGII, Magiſtri, mortem, redemtam auro libertatem demum obtinuerunt, ſuos eligendi Magiſtros, vix in cenſum venit, quoniam illius exercitium mox cum ipſa ſubjectione & Ordinis abolitione, A. 1561. penitus ceſſavit, inſuperque ad integræ Livoniæ Nobilitatem Regularem, ſeu Ordinem Equeſtrem Teutonicum, non ad Curlandiæ Nobilitatem Secularem, ſpectavit, ita, ut, cum recte dicatur, Magiſtros Livoniæ per iſtud breviſſimum tempus ab Ordine Equeſtri totius Livoniæ electos fuiſſe, fruſtra viciſſim atque incongrue aſſeratur, Nobilitatem Secularem Livoniæ, ne dicam ſolius Curlandiæ, Ordini tributariam, ejusmodi vota geſſiſſe, ſoli Ordini Equeſtri Regulari olim propria, & cum eodem exſtincta. Ex quo *Kettleriana ſtirps*, ab A. 1562. cum Ducali dignitate, dominium in Curonia, annos ultra centum & ſeptuaginta, geſſit, multominus Curlandiæ Ordines electionis uſum experti ſunt, ſiquidem inveſtiti cum primo Duce ejusdem legitimi hæredes maſculi, jure ſucceſſionis & inveſtituræ ſimultaneæ, in locum defuncti aſcendebant, homagiumque in renovata inveſtitura repetebant, nulla amplius electione, vel Ordinum optione, indigentes. Primo feudatario Curlandiæ Duci, GOTTHARDO, filius ſucceſſit FRIDERICUS, & huic frater WILHELMUS, hunc excepit filius JACOBUS, a quo hæreditas in filium FRIDERICUM CASIMIRUM & ab hoc in pupillum, FRIDERICUM WILHELMUM, propagata eſt, durante cujus minorennitate patruus, FERDINANDUS, regiminis adminiſtrationem geſſit, & poſt ſecutam A. 1711. ejusdem mortem ſucceſſionis jus ipſe obtinuit, ſed A. 1730. demum exercere cœpit. In qua integra hæreditaria in feudum ſucceſſione nullum ſane electionis exercitium obtinere poterat, feudo nunquam vere aperto, quamdiu *Kettleriana ſtirps* ſubſiſtebat. Præterea non apparet, quo pacto jactata hujusmodi electio ſtare queat cum *juramento*, quod Curlandiæ Ordi-

non obſtante breviſſimo electionis exercitio, ab A 1535 cum interitu Ordinis A 1561. abſorpto,

neque durante ſucceſſ. Kettleriana,

per integram hanc ſtirpem,

nullo electionis actu ſtabilito,

Ordines & cives novo Duci præſtare tenebantur, hujus fere tenoris: *Si horum Ducum nullus ſuperfuerit, Sereniſſimo ac Potentiſſimo Principi, Domino Sigiſmundo, Poloniæ Regi, illiusque ſucceſſoribus, Regibus, & inclyto Regno Poloniæ, Magnoque Ducatui Lithuaniæ, tanquam non ſolum ſupremis ac directis, quales nunc ſunt, ſed etiam utilibus & immediatis, tum futuris Dominis meis, tam uti ceteri Regni indigenæ, ſubditus fidelis & ſubjectus eſſe,* (b) quo tenore etiam in *forma juramenti* Supremis Conſiliariis, per Commiſſionem Mitavienſem, A. 1717. præſcripta, unusquisque promittere debebat, ſe, *Duci Ferdinando, - - ſub dominio directo S. R. Majeſtatis Poloniæ & Magni Lithuaniæ Ducis, - - Ducibusque non amplius ſuperſtitibus, Sereniſſimo ac Potentiſſimo - - Poloniæ Regi & Magno Duci Lithuaniæ, tanquam ſuo non ſolum Domino ſupremo & directo, qui S. R. Majeſtas jam eſt, ſed etiam tanquam ſuo tunc immediato & plane perfecto naturali Domino, & Reipublicæ, uti alii Regni incolæ, ſubditum fidelem & deditum futurum & manſurum,* (bb) qua ipſa recognitione omni ſane electionis exercitio ſancte renunciarunt, pariter ac deinceps datis in Commiſſione Mitavienſi *Reverſalibus*, Deputatorum manibus d. 6. Sept. 1727. ſubſcriptis, inviolabiliter polliciti, fore, *ut ab omni imaginaria prætenſione novi cujuscunque Principis eligendi in perpetuum abſtinerent.* (c) Quodſi vero Curlandiæ Proceres quædam

ſed expreſſis eliminato,

(b) Verba ſunt *juramenti ab Ordinibus novo Duci præſtandi*, inter *Privilegia Curl.* Varſoviæ 1719. 4. edita, n. 8. p. 80. vel juxta editionem anni 1736. p. 29. inter *annexa Documenta*, n. XI.

(bb) Vid. *formula Juramenti a ſupremis Conſiliariis Duci Curlandiæ præſtandi*, in Commiſſione Mitavienſi A. 1717. præſcripta, inter *annexa Documenta*, n. XV.

(c) Vid. *Reverſales Supremorum Conſiliariorum & Deputatorum ex omnibus Diſtrictibus Ducat. Curl. & Semg.* Mitaviæ d. 26. Sept. 1727. ſignatæ, in *Synopſi Actorum Commiſſionis Regiæ Mitavienſis*, Varſoviæ 1736. f. edita, p. 53. inter *annexa Documenta* n. XXII.

qualis si subsistere debuisset, dam suffragiorum & electionis jura possedissent, vel cum Ducatus origine acquirere debuissent, necessario sane & nemine dubitante, in ipso subjectionis tractatu, vel in concessis privilegiis & indultorum articulis, tanti momenti, tam præstantis prærogativæ, & eminentioris juris, mentio injicienda fuisset, hic enim locus erat, ubi utriusque partis mutua & reciproca jura componebantur. Atqui in omnibus istis instrumentis ne verbulum quidem deprehenditur, quod electionis juris ideam secum ferat; Ergo etiam ex silentio hujus passus liquide colligitur, *Curlandiæ Proceres, neque ante Ducatus institutionem, libertatem suffragiorum possedisse, neque post feudi erectionem acquisivisse.*

necessario tot instrumentorum formulis fuisset stabilitus

THES. II.

Livoniæ Magister post subjectionem supremum Poloniæ Regni dominium recognoscens, nonnisi utile in Curoniam feudi titulo obtinuit; Ergo Vasalli feudatarii Principis jura supremi Domini, in collatione feudi aperti, frustra sibi tribuunt

Quandoquidem vi supranarratorum *Livoniæ Magister*, in extremo belli Russici periculo ad incitas redactus, omnique exterorum auxilio destitutus, *clientelæ Regis Regnique Poloniæ se subjecerit, suprematu suo prorsus abdicaverit, directum ac eminens Poloniæ dominium recognoverit, necnisi utile in Curoniam dominium, cum Ducali titulo, in feudum obtinuerit;* plurimi sane judicabunt, dictam Livoniæ Magistri subjectionem speciem fuisse *feudi oblati*, (cc) quemadmodum BERENGARIUS, Rex, cum filio suo ADALBERTO, Germanorum Regi, dein Imperatori,

Subjectio Magistri Livoniæ

species feudi oblati, exemplo Berengarii,

(cc) *Andr. Gail.* lib. II. *observat. pract.* n. 158. §. 1. *Casp. Henr. Hornii Jurisprud. feud. Teuton. Langob.* cap. IV. p. 83. *Christiani Thomasii & Johann. Nicol. Hertii Dissertat. de Feudis Oblatis.*

ratori, OTTONI I. tanquam vasallum, se subjecit, & *Italiæ dominium*, tanquam beneficiarium, ab eo in feudum sumsit, (*d*) vel prout OTTO, *Lunæburgensis*, terras suas FRIDERICO II. Imperatori, A. 1235. (*e*) & *Silesiæ Principes* Ducatus suos IOHANNI, Regi Bohemiæ, (*f*) itemque ALBERTUS & IOHANNES, *Megapolitani*, suas regiones Imperatori, CAROLO IV. A. 1349. (*g*) nec non ALBERTUS, Marchio Brandenburgicus, *Prussiæ terras*, A. 1525. SIGISMUNDO, Poloniæ Regi, (*h*) in feudum obtulerunt, & sub hac qualitate iterum receperunt. Sed in *Kettleriana subjectione* aliæ occurrunt circumstantiæ, quæ illam sane exilioris adhuc conditionis, quam reliqua *feuda oblata*, reddere possent, (*i*) veluti, quod Livoniæ Magister terras Regi obtulerit, partim non amplius sibi proprias, partim in extremo hostilis subactionis periculo constitutas, diuturnis belli motibus exhaustas, hic Poloniæ Regi jam antea qua partem oppignoratas, illic Daniæ Regibus, Prussiæ Duci, civitatibus, nec non

Ottonis Lunæburgici, Silesiæ Ducum, Megapolensium Principum, Supremi Prussiæ Magistri,

& licet nonnulla attributa ejusd. qualitates imminuere videantur,

(d) *Rheginonis*, Prumiensis, *Annal. de Germ. Reb.* lib. II. ad A. 952. in *Collect. Pistoriana Script. Germ.* T. I. f. 106. edit. Struvii, & inter IV. *Antiquissimos German. Script.* a *Sim. Schardio*, Francof. 1566. editos, n. 2. f. 55. b.

(e) Vi *Diplomatis* apud *Meibomium*, T. III. *Rer. Germ.* p. 207.

(f) *Instrumenta* apud *Balbinum*, *Lunigium* & *Goldastum*, hinc inde obvia, in *Du Mont Corp. Dipl.* T. I. P. II. juxta ordin. Chronol. ab A. 1327. ad 1355. congesta. *Attestatum Preczlai, Episcopi Vratislaviensis*, de hac subjectione, d. 1. Jul. 1342. in *Balbini Miscell. Regni Boh.* Dec. I. lib. VIII. P. III. Epist. 6. p. 185. *Instrumentum incorporationis Caroli IV.* A. 1355. in *Goldasti Const. Imp.* T. I. p. 345.

(g) *Joh. Cuspiniani Vita Caroli IV.* cap. 285. f. 479. *Alb. Krantzii* lib. IX. *Saxoniæ*, cap. 27. *Pontani* lib. VII. *Histor. Dan.* A. 1349. p. 476. *Schurtzfleisch*, *de Reb. Mecklenburg.* §. 10. *Opp. Historico-Polit.* n. 31. p. 474. *Investituræ Diploma* in *Relat. Lit. Hamburg.* A. 1734. p. 403.

(h) *Instrumentum transactionis* Cracoviæ d. VIII. April. 1525. in *Prilusii Statutis Regni Polon.* lib. V. cap. III. f. 762. *Investituræ formula*, ibid. f. 770.

(i) De *prærogativis feudorum oblatorum* præ aliis, *Christoph. Besoldus*, *Consil. Tubing.* P. II. Consil. 57. n. 87. *Wesenbecius*, Consil. 53. princ. *Rosenthal de feudis*, cap. VI. *Thomasius*, *Diss. de feudis oblatis*, c. I. §. 45. *Wurmserus*, *de feudis impropriis*, class. III. sect. 8. n. 7. *Joh. Guil. Itterus*, *de feudis Imp.* cap. I. §. 12. p. 25.

non bono Equitum numero, pro ære alieno, aſſignatas, adeoque partim ab hoſtium inſultu armis vindicandas, partim ſolutione debitorum redimendas: (*k*) Verum hiſce etiam prætermiſſis id tamen cum aliis propriis & datis feudis commune habet, quod obſequium & fidem erga ſupremum directum dominum natura ſua ſecum ferat, quæ de ſubſtantia feudi ſunt, idemque, ceu notæ characteriſticæ, ab aliis bonis diſtinguunt; (*l*) Ergo etiam cum natura feudi pugnat, ſi, illo aperto, vaſalli Principis quondam feudatarii jura collationis, ſoli domino directo competentia, ſibi tribuere audent. In quantum enim communi feudorum naturæ per initas transactiones clare & expreſſe non derogatum fuit, in tantum quoque juxta conſuetas feudales leges & deciſiones judicandum eſt. Quum itaque Curlandiæ Proceres, una cum ultimo Livoniæ Magiſtro, in ipſa ſubjectione juratam dederint fidem, *præter Regem Regnumque Poloniæ, nullum alium ſupremum dominum unquam agnoſcendi*, ſequitur, quod omnia molimina, in præjudicium hujus directi dominii vergentia, ipſi fidei, quæ de ſubſtantia feudi eſt, (*m*) repugnent. In inſtitutione *Ducatus Pruſſici*, ad cujus exemplum inveſtitura Curlandica ſubinde provocat, idem provide cautum erat, ut, deficiente hæreditaria ſtirpe, Pruſſiæ Ordines *Regi Regnoque Poloniæ debito obſequio ac ſubjectione, tanquam naturali hæreditario Domino, abſque alterius cujuſdam recognitione, tenerentur*, (*n*) quod etiam denuo in ipſorum *formula conſenſus* con-

hoc tamen cum aliis commune habet,

ut obſequium & fidem, tanquam feudi ſigna, involvat,

Recognitio autem ſupremi dominii non admittit actus ipſi directe contrarios,

hinc feudale vinculum, inſtar Ducatus Pruſſici,

(k) Hæ *oppignorationes* in ipſo *Subjectionis tractatu* enumerantur, Art. VIII. inter *annexa Documenta*, n. I.

(l) *Strykius*, de *præſumt. feud.* cap. 2. §. 9. *Hornius, Jurisprud. feud. Langobard. Teut.* cap. XIII. §. 1. Ejusd. *Conſultatt. Reſp. & ſententiæ*, claſſ. XVI. n. 32. p. 1301.

(m) II. *Feud.* 4. & 5. *Struvii Syntagm. Jur. Feud.* cap. II. aphor. VI. n. 6. *Ludewig Synopſ. Jur. Feud.* cap. II. p. 22.

(n) *Inſtrumentum concordiæ* ſupracitatum apud *Priluſium*, f. 762 & in *Goldaſti Actis Imperial.* p. 175. inter *Privil. Ord. Pruſſ.* Brunsb. 1616. edit. p. 32.

confirmatum fuit. (o) Eædem igitur conditiones de conformi Ducatu Curlandico suapte natura jam subintelligebantur; Nihilominus tamen primus Dux, GOTTHARDUS, in *ipsa subjectione*, suo & subditorum nomine, itemque hi per mandatarios, solenni juramento fidem dederunt, *in ea voluntate & observantia, quam semel Regi detulerant, constanter permanendi & firmiter perseverandi, tanquam fidelem vasallum & subditos decet, imperio & potestati Regis subjectos.* (p) Perinde Ordines, in *præstito* Regiæ Majestati *homagio*, his utebantur verbis: *Nullos tractatus, nulla fœdera, inducias, aut contractus faciemus, sine suæ Majestatis Regiæ consensu & approbatione; sed nos in omnibus fideles, observantes & obsequentes, omni loco & tempore, præstabimus - - omnemque machinationem, quam practicari suboleverimus in præjudicium Regiæ Majestatis, præcavebimus, & pro posse nostro summa fide impediemus.* (q) Nec minus in *Instrumento Incorporationis*, Lublini d. 3. Aug. A. 1569. signato, Poloniæ Rex feudatarium Principem hoc ligavit vinculo: *Speramus, Illustritatem suam & ejus posteros in ea fide, voluntate, subjectione, quam Nobis Regnoque cum Ducatu Lithuaniæ unito per supradictos Plenipotentes detulerunt, constanter permansuros & firmiter perseveraturos.* (r) In *Formula* insuper *Regiminis*, A. 1617. promulgata, prospectum fuit, *ne in conventibus quicquam decerneretur, quod pactis subjectionis fundamentalibus, & Ducalibus investituris, & hujus Regiminis formæ, aut ordinationi, sit contrarium, quippe quorum omnium æterna autoritas esse & observari deberet.* (rr) Hinc unicuivis æquo & nullo partium studio

a primo Curlandiæ Duce juramento ligatum,

ab Ordinibus agnitum & confirmatum,

Incorporationis Instrumento stabilitum,

per formulam Regiminis corroboratum,

(o) *Formula Consensus Ordinum* d. 9. April. 1525. Cracoviæ signata, apud *Prilusium*, l. c. f. 775. & inter *Privilegia Ordinum Ducatus Prussici*, Brunsbergæ edita, p. 37.

(p) Verba sunt *pacti subjectionis*, in epilogo, inter *annexa Documenta*, n. I.

(q) Tenore *juramenti ab Ordinibus Vilnæ per Legatos præstiti*, inter *privilegia Curland.* Varsoviæ 1719. 4. edita, n. 4. p. 53. vel juxta editionem 1736. p. 20. inter *annexa Documenta*, n. V.

(r) Juxta *Diploma Incorporationis*, inter *annexa Documenta*, n. VI.

(rr) Prouti verba fluunt in *Formula Regiminis*, A. 1617. promulgata §. *In*

ex ipsa feudi natura omnē Vasallorum de eodem aperto dispositionem evertit

studio distracto lectori relinquitur judicandum, numne dictis transactionibus & feudali observantiæ e diametro repugnet, si Proceres Curlandici feudum Poloniæ Regno, tanquam supremo domino, apertum novo Feudatario conferre, atque de re aliena, suo arbitrio, contra directi feudalis fori jura, disponere conantur. Hoc ipso sane natura feudi mutaretur, & novus Dux jus suum, perinde ac in aliis liberis & electivis Statibus, per Procerum electionem, non autem a supremo, directo Domino, adipisceretur, adeoque de Suprematu Regni Poloniæ actum foret, cujus fundamenta sequentibus firmantur.

Thes. III.

Vigore subjectionis, clientelæ atque incorporationis, inclytum Poloniæ Regnum supremum in Curlandiam dominium acquisivit; Ergo etiam solum de aperto feudo disponere potest

Inclytum enim Poloniæ Regnum partim subjectione, partim armata defensione,

supremum in Curlandiam dominium acquisivit,

Quemadmodum Equites Teutonici primum in Curoniam jus, vi præcedentis narrationis, subjectione Ensiferorum, Ordini suo sese submittentium, obtinuerunt, donec residuam Curlandiæ & Semgalliæ partem armis subigerent; Ita etiam inclytum Poloniæ Regnum, simili facta Magistri Ordinumque subjectione & oblatione, itemque præstito ab iisdem homagio, nec minus concessa clientela, atque armata provinciarum ab hostibus defensione & protectione, perinde ac secuta incorporatione, eidemque incluso devolutionis jure, supremum, directum & eminens in Livoniam, ejusque partem Curlandiam, dominium legitime acquisivit. Prouti in priori Ensiferorum dominium cessabat, ita in posteriori Cruciferorum Ordinisque Teutonici suprematus exstinguebatur, cum illa Ensiferorum, cum hac Teutonicorum Ordo penitus exspirabat, & post composita subjectionis pacta nonnisi utile in Curlandiam dominium Livoniæ Ma-

---

quibus conventibus, &c. & inter *annexa Documenta*, n. X.

Magistro, tanquam beneficium Regium, cum Ducali titulo, in feudum conferebatur. Eadem ratione, qua in præcedente quondam Ducatus Prussici investitura proprietates supremi Poloniæ Dominii sufficientibus notis characteristicis expressæ leguntur; (*s*) eadem etiam in prima Curlandici Ducis uberius distinguuntur, (*t*) & ab hoc tempore a Serenissimis Poloniæ Regibus, haud interrupta serie & quacunque occasione, in actum sunt deductæ. Post SIGISMUNDI AUGUSTI mortem STEPHANUS, Rex, primo Duci, GOTTHARDO, investituram Ducatuum suorum, in castris ad Dunam fluvium, d. 4. Aug. A. 1579. renovavit. (*u*) SIGISMUNDUS III. binos GOTTHARDI filios, FRIDERICUM & WILHELMUM, in Comitiis Varsoviensibus, d. 16. April. A. 1589. investivit, (*x*) quorum postremus, ob commissam A. 1613. a Satellitibus Ducalibus in MAGNUM NOLDIUM cædem, Ducatu suo ad 18. annos, vigore Regii Decreti, ac evidenti supremæ potestatis argumento, exulare cogebatur. (*y*) GUILIELMI filius, JACOBUS, jam A. 1633. d. 20. Jul. Vilnæ cum patruo, Duce FRIDERICO, simul investitus & ad contactum vexilli admissus, obtento per Responsum Comitiale A. 1638. Regio consensu, Ducatum Curlandiæ a Rege VLADISLAO, Vilnæ d. 18. Febr. A. 1639. in feudum accepit, (*z*) a Regibus, JOH. CASIMIRO, Varsoviæ, d. 20. Maji A. 1649. & MICHAELE, ibidem d. 20. Nov. A. 1670. nec

cujus proprietates instar prævia Ducatus Prussici institutionis,

in omnibus circa Curlandicum Instrumentis expressa,

per singulas Ducum investituras in actum deducta,

(s) Vigore sæpiuscitatæ *Investituræ*, apud *Prilusium*, f. 770.

(t) In *formula Incorporationis* Lublini 3. Aug. 1569. signata, inter *annexa Documenta*, n. VI.

(u) *Literas investituræ* conf. in *Zschackvitzii* P. II. *prætension. illustr.* p. 180. & inter *annexa Documenta*, n. VII.

(x) *Investituræ formulam*, vid. apud *Zschackvitz.* l. c. p. 191. ubi etiam subjungitur *Confirmatio Regii indulti, de oppignorandis bonis*, prævia Regis permissione, de A. 1589. inter *Docu. ment.* n. VIII.

(y) *Pauli Piasecii Chronic. Gestorum in Europa singular.* ad A. 1632. fol. 529. sub *allegatis Docum.* n. IX.

(z) *Teste Piasecio*, l. c. ad A. 1639. f. 601. *Instrumentum simultaneæ Inve-*

nec non JOHANNE III. d. 28. April. A. 1677. confirmatum. Perinde FRIDERICUS CASIMIRUS, in Comitiis anni 1683. a Rege JOHANNE III. investitus, & nonnisi intuitu canutæ ætatis a personali homagii præstatione dispensatus fuit (*a*) Post insecutum A. 1698. hujus obitum, frater ejus, FERDINANDUS, administrationem Regiminis, nomine minorennis, FRIDERICI WILHELMI, & post maturam ipsius mortem, A. 1711. hæreditarii feudi jura obtinuit, renovato tamen hic a parte Poloniæ Regni supremi dominii exercitio, ubi Seren. Rex AUGUSTUS II. anno sequente 1712. ob impedimentum debilis infeudandi Ducis valetudinis, homagii præstationem & investituræ receptionem ad sequentia Comitia prorogavit, atque dein Rescripto Regio, Varsaviæ d. 24. Mart. 1713. emanato, Supremis Consiliariis, & Officialibus totique Nobilitati, ut juxta præscriptum Statutorum Duci FERDINANDO obtemperarent, injunxit. (*b*) Durante ipsius Regimine idem Serenissimus Rex, pro tuendis supremi dominii juribus, in *Commissione Mitaviensi*, A. 1717. juramenta extra Ducatum Duci præstita, tanquam directo S. R. Majestatis dominio derogantia nulla declaravit, atque Supremis Consiliariis, nec non Capitaneis Majoribus & Minoribus juramenti formam præscripsit, (*c*) ut taceam, *Constitutionem Grodnensem*, anni 1726. & Acta Commissionis Mitaviensis, A. 1727. quorum paulo post mentio injicietur, luculenta satis de supremi

pluribus Decretis, Commissionibus & Constitutionibus stabilita,

stituræ de A. 1633. & *Consensus Regius ex Responso Comitiali*, A. 1638. allegantur inter exhibita ab Ordinibus Curlandiæ Documenta, in Commissione Mitaviensi A. 1717.

(a) Ipsas *investituræ literas*, supremum Poloniæ Regni dominium luculenter testantes, hunc in finem per extensum annexas, consule inter *Documenta*, n. XIII.

(b) *Rescriptum Reg.* Varsav. d. 24. Mart. 1713. & *Decretum* de A. 1712. allegantur inter *Documenta a Curlandiæ Ordinibus*, *in Commissione Mitaviensi*, A. 1717. exhibita, sub *Docum.* n. XV.

(c) Vigore *Resolutionis Commissariorum Regiorum*, inter Acta Commissionis Mitaviensis A. 1717. ad Artic. XIII. quibus *juramenti formulæ* insertæ sub *Documentis*, n. XV. exhibentur.

mi dominii exercitio teſtimonia perhibere. Summum hoc feudale forum ipſe Dux FERDINANDUS probe recognovit, ubi in Deductione ſua contra CAROLAM SOPHIAM, Abbatiſſam Hervordenſem, natam Ducem Curlandicam, ratione prætenſionum ipſius ex patrio teſtamento, A. 1711. formatarum, ita fere concludit, *ipſi haudquaquam integrum fore, poſthabito ordinario ſupremi feudalis judicis tribunali, jactata ſua jura, potentioribus, vel aliis cedere, ſiquidem tali conatu omnium plane jurium, quæ forſan aliquando adhuc evincere poſſet, jacturam ipſo jure ſit factura.* (d) In Conſtitutione Comitiorum pacificationis extraordinariorum, menſe Junio A. 1736. habitorum, Auguſta Regia Majeſtas, ſtabilito per Pacta Conventa indiſſolubili Curlandiæ cum Regno Poloniæ vinculo, decrevit, ut Ducatus Curlandiæ, tanquam Reipublicæ feudum, ab externis prætenſionibus liberaretur, & Dux FERDINANDUS, vigore inveſtituræ, poſſeſſionem ejus Ducatus quamprimum adiret &c. (e) Inſecuta autem ad d. 4. Maji A. 1737. ipſius morte, idem Sereniſſimus Rex, AUGUSTUS III. datis ad Curlandiæ Ordines literis, reſcripſit, ut *tam jurium Regiorum ſupremi & directi in Ducatum Curlandiæ & Semgalliæ dominii, quam vinculorum ſuorum jurisjurandi, vigore pactorum ſubjectionis, & formulæ Regiminis ac Ordinationis, debitam rationem habentes, in plena & perfecta erga Regem atque Rempublicam fidelitate obſequio & ſubjectione intaminate perſeverarent, - - ac nihil quidquam in contrarium iisdem pactis ſubjectionis, & juribus Regiis, ac legibus Regni attentare præſumerent* - - interea *inventarium de omnibus generaliter bonis Domus Ducalis, tam mobilibus, quam immobilibus, conſici,*

ab ipſis Feudatariis agnita,

a Sereniſſimis Regibꝰ, Dominis, ſerio vindicata,

(d) *Deductio jurium Carolæ Sophiæ,* Abbatiſſæ Hervordenſis, ex patrio teſtamento, A. 1711. inter *Lunigii ſcripta Illuſtria*, n. 86. p. 928. & *Exceptio Ducis Ferdinandi* eidem oppoſita, ibid. n. 87. p. 962

(e) Vid. *Conſtitut. Comitior. Pacificat.* d. 25. Jun. 1736. p. 28. & 153. juxta translationem latin Dreſdæ editam, ibidemque *Pacta Conventa Regia*, n. 166. p. 89. n. 189. p. 97. *Rouſſet, Supplem. ad Du Mont Corp. Diplom.* T. II. P. II. Vol. III. n. 202. p. 555. ſq. *Allegata Documenta*, n. XXVI. XXVII.

fici, curarent, - - ac sedulo incumberent, atq; procurarent, ne proventus ex iisdem bonis Ducalibus, feudalibus & allodialibus, quocunque modo vel prætextu, distraherentur, &c. (*f*) Novissime tandem supremis Curlandiæ Consiliariis currente anno 1742. Regio nomine insinuatum est, quod, stante supposito, Curlandiam immediatum Reipublicæ feudum esse, Ordinibus ejus haudquaquam integrum sit, electionem novi Ducis exercere, vel, absque prævio Regis & Reipublicæ consensu, simile aliquid moliri; si autem hoc non obstante quidquam huic declarationi contrarium suscipere auderent, idem omnino irritum atque nullum foret, siquidem S.R.M. atque Respubl. Polon. sibi solis reservaverint, in proximis abhinc Comitiis quæcunque emolumentis Nobilium ceterorumque Curlandiæ incolarum commodis conducere viderentur, dehinc disponere atque determinare. Eodem fere tempore Sacra Regia Majestas, emanato constituit Decreto, ut judicia Curlandica nomine Regio aperirentur, lalæque sententiæ unito Curlandico Poloniæ Regni, Magnique Lithuaniæ Ducatus, sigillo munirentur. Quemadmodum igitur ex omnibus hisce actibus signa eminentioris directæ potestatis elucent, ac fundamentum supremi, directi, dominii stabilitur; ita ex hoc vicissim sequitur, quod *soli Regiæ Majestati Regnoque Poloniæ, tanquam naturali hæreditario Domino, jus competat, de aperto sibi feudo disponendi, idemque in novum Feudatarium Principem conferendi.* Quicquid enim Curlandiæ Ordinibus, vigore supradictorum, non competit, sed ad solum Poloniæ Regnum spectat, de eo etiam iisdem nec decidere licet; Atqui apertus Curlandiæ Ducatus non Ordinibus, sed supremo, naturali, directo, Domino, vacat, ergo etiam penes illum solum novæ collationis jus quæ-

& sic a prima Ducatus origine, ad hæc usque tempora robori suo conservatæ sunt;

Hinc etiam solum Poloniæ Regnum, absq; ullius concursu, de feudo aperto disponere potest,

quod Domino, non vasallis, vacat,

(f) Conf. *Annal. Histor.* ad A. 1737 cap. XIII. p. 1102. *Ipsum S. R. Majestatis Rescriptum*, de Anno 1737. leg. inter *annexa Docum.* n. XXVIII.

quærendum eſt. Devolutio illa vinculum eſt, quo mediatum antea & ſupremum dominium deinceps cum immediato & utili unitur ac conſolidatur. (*k*) Natura & qualitas feudi hoc adeo evidenter ſuadent, ut, abſque conſultatione etiam feudalium conſuetudinum, unicuivis appareat, feudum finitum non modo civiliter, ſed & naturaliter ad Dominum ſpectare, quoniam poſſeſſio naturalis civili incubat, vel ſaltem ad jus ejus limitata & civili ſubalternata fuit, ideoque cum jus vaſalli, nempe utile dominium, ſeu uſusfructus ejus ad hæredes tranſitorius, exſpiret, poſſeſſio ejus quoque ipſo facto finita, jamque a civili domino jure ipſo attracta & conſolidata eſſe videtur. (*l*) Non ſolum autem hoc deſumto ex ipſa feudi natura fundamento dicta illa devolutio nititur, ſed præterea quoque ipſis ſancitis pactis fundatur. Ex præſtabilita feudi Curlandici cum quondam Pruſſico conformitate aſſerti ratio petenda: In prima Ducatus Pruſſici inſtitutione, per transactionem Cracovienſem, inter SIGISMUNDUM, Regem, & ALBERTUM, Marchionem Brandenburgicum, ſtipulatum fuit, ut deficientibus coinveſtitis legitimis hæredibus maſculis feudum ad R. M. & Regnum Poloniæ hæreditarie rediret & recideret. (*m*) Hoc adeo cer-

ergo vi conſolidationis ab eo, ad quem devolvitur, non vero a ſubditis, in novum feudatarium conferri debet,

loquente non ſolum feudorum natura,

ſed etiam pactorum tenore,

ſicut in exemplo Pruſſici quondam Ducatus,

(k) I. *Feud.* 18. II. F. 15. 26. *Andr. de Iſernia Comment. in Vſus feudorum*, p. 157. edit. Lugdun. 1579. *Ioh. Schilteri Inſtit. I. F.* cap. VIII. §. 3. & *Annotat. Gundlingii*, p. 253.

(l) Verba ſunt *Klockii*, *Conſiliorum*, T. I. Conſ 29. n. 77. 78. p. 309. Cui aſſentitur *Natta*. Conſ. 563. fin. dicens, *quod nec requiratur retraditio poſſeſſionis, quia virtus directi dominii ſemper ſit in actu permanens, ex vi attractiva.* Hinc eleganter *Borgnin. Cavalcan.* decis. 35. n. 69 *ſicut uſusfructus morte fructuarii ipſo facto finitur, & civili poſſeſſioni conſolidatur naturalis, quam habebat fructuarius, & ad proprietarium etiam ignorantem ipſo jure redit; Eadem ratione & poſſeſſio precaria, precario ipſo finito, terminatur & ad concedentem revertitur.* Vid. *Molinæi Conſuetud. Pariſ.* tit. I. § 1. n. 55. & §. 43. n. 187. ſq. *Opp.* T. I. p. 36. & 540. edit. Pariſ. 1681. f.

(m) *Transactionis* ſæpiuscitatæ *inſtrumentum* apud *Priluſium*, f. 762. & inter *Privilegia & Documenta Ordinum Pruſſiæ*, Brunsbergæ 1616. f. junctim edita, f. 32. ſq.

certum eſt, ut, ſtante ſucceſſionis jure, penes unicum primi feudatarii filium, ALBERTUM FRIDERICUM, ejuſque patruum GEORGIUM, poſt quorum fata, ſuperſtite ex Linea Onoldina nemine, Ducatus ille Regno Poloniæ vacaturus erat, IOACHIMUS II. Elector Brandenburgicus, continuationem hæreditariæ in feudum ſucceſſionis, novis pactis, novaque inveſtitura, ad domum Electoralem derivare debuerit. (*n*) Quid, quod pronunciatâ in Liberum Ducatum Pruſſiâ, atque diremto ejusdem cum Poloniæ Regno feudali vinculo, nihilo tamen minus, in omnem eventum exſpiraturæ legitimæ maſculæ ſtirpis, terrarum devolutio inclyto Poloniæ Regno reſervata fuerit.

ita & in conformi huic Curlandico,

(*o*) Simili ſenſu in inſtitutione Ducatus Curlandici, vigore incorporationis formulæ, confectum fuit, ut idem, tanquam inſertum Regno Poloniæ membrum, *cum eodem, veluti uno & indiviſibili corpore, in perpetuum unitus & conjunctus maneret.* Quamdiu inveſtita cum primo Duce Kettleriana ſtirps ſubſtitit, caſus

durante cujus in Kettleriana ſtirpe periodo

proprie dictæ Ducatus aperturæ nunquam contigit, adeoque de nova vacantis feudi collatione, ſuperſtitibus ſemper legitimis hæredibus, vix controverſia poterat moveri; & quamvis quidem Curlandiæ Proceres, ſeneſcente ultimo hujus ſtirpis ſurculo, Duce FERDINANDO, de nova ſubſtitutione ſoliciti viderentur, inclytum tamen Poloniæ Regnum per *Conſtitutionem Grodnenſem* anni 1726. ſupremi dominii jura ſalva & tuta aſſeruit, atque indiſſolubile feudi Curlandici cum Poloniæ Regno vinculum arctius non ſolum ligavit, (*p*) ſed etiam ipſe AU-

(n) Conf. *Frid. Dankelmanni*, præſide *Jac. Perizonio*, Lugd. Batav. 1708. habita *Diſſertat. de Rebus & Incrementis Pruſſorum*, P. II. cap. IV. itemque *Privilegia & Diplomata Ducatus Pruſſici*, junctim edita, Lit. A.

(o) *Sam. Pufendorffii de Rebus Geſtis Friderici Wilh. M.* lib. VI. §. 71. p. 375. lib. VII. §. 50. p. 433. Articulus V. *Tractat. Velavienſis*, d. 19. Sept. 1657. ſignati, in *Nicol. Zalaszovski Additionibus Juris Regni Polon.*

(p) *Conſtitutio Grodnenſis*, de Anno 1726. habetur in *Rouſſeti Supplement.*

AUGUSTUS Rex, *Reſcripto Inhibitorio*, ſub 8. Junii ejusdem anni, intimatum pro electionis actu conventum ſevere interdixit, (*q*) viciſſim Supremis Conſiliariis atque Deputatis Curlandiæ celebranda Grodnæ, proximo Octobris menſe, judicia Curlandica *peculiari Mandato* injunxit; (*r*) Dehinc Proceres Regni Poloniæ & Magni Ducatus Lithuaniæ *Manifeſtationem contra attentatum actum*, menſe Julio, exhibuerunt, (*s*) quam deinceps Commiſſarii Regii, anno ſequente 1727. Mitaviæ reaſſumſerunt, atque *Decreto Commiſſionis*, d. 9. Dec. ejusdem anni, vigorem Inſtrumentorum originalium ſubjectionis & incorporationis, nec non homagiorum a Magiſtro æque ac Ordinibus Livoniæ Regi quondam præſtitorum, nullam omnino eligendi, vel infeudandi ab Ordinibus, novi Ducis reſervationem continentium, denuo ſtabiliverunt, ac renovata autoritate confirmarunt. (*t*) Ex quibus omnibus nihil aliud hoc loco adſtruere, aut evincere opus eſt, quam quod Proceres Curlandiæ eadem in confeſſo habentes, datiſque Reverſalibus, ſolenniter ſubſcriptis, acceptantes, (*u*) ſolius Poloniæ Regni ſupremum dominium,

deficientibus occaſione & facultate,

ad *Du Mont Corp. Dipl.* T. II. part. II. vol. III. f. 188. ſq. cujus *extractus* inter *annexa Documenta*, n. XVI. conferendus.

(q) *Inhibitio S. R. Majeſtatis*, per Generoſum Nakvvaſki, Capitaneum Ciechanovienſem, *Statibus Curlandiæ, de non celebrando particulari congreſſu*, d. 8. Jun. 1726. intimata, inter *annexa Docum.* n. XVII. cum *Reverſalibus intimatæ inhibitionis*, n. XVIII.

(r) *Mandatum, pro Judiciis Curlandicis, menſe Octobri Grodnæ celebrandis*, Varſoviæ A. 1726. emanatum, inter *ſubjuncta Documenta*, n. XIX.

(s) *Oblata videndæ Manifeſtationis*, ſub 11. Jul. A. 1726. inter *annexa Docum.* n. XX. Ipſa autem *Procerum Regni Poloniæ, Magnique Ducatus Lithuaniæ Manifeſtatio contra congreſſum illicitum d. 26 Jun. formatum*, n. XXI.

(t) *Decretum* hujus *Commiſſionis integraque ipſius Acta*, a 30. Aug. uſque ad finem anni 1727. habentur in *Supplementis Corp. Diplom. Du Mont*, T. II. P. II. vol. III. f. 188.

(u) *Declaratio, ſponſio & obligatio, Supremorum Conſiliarior. & Deputator. ex omnibus Diſtrictibus, de non attentanda amplius electione*, Mitaviæ, d. 26. Sept. 1727. inter *Docum.* n. XXII. *Formula Novi Regiminis Ducatuum Curl. & Semg.* Mitav. d. 5. Dec. 1727. ibid. n. XXIII. cum *ſubſcriptionibus ma-*

Proceribus Curlandiæ omnes eligendi conatus fuère præclusi

nium, per consequens eidem annexum jus, de feudo aperto disponendi, denuo recognoverint & asseruerint, omnibusque suis in casu aperturæ conatibus sancte renunciaverint. His igitur in antecessum, pro stabilienda præsentis argumenti decisione, breviter præmissis, dissentientium objectiones ex sola pristinæ Curlandici Regiminis formæ & communis feudorum naturæ, initarumque cum Ducatus origine transactionum, inter se collatione, jam sponte sua corruent; Vt tamen & his plenarie & fusius satis fiat, potiores dubitandi rationes, compendii causa strictim comprehensas, articulatim hic allegare, earumque solutionem ex præmissis decidendi rationibus subnectere, expediet, id quod postremo Deductionis hujus membro nunc præstandum.

Pars Tertia

Dissentientium objectiones & dubitandi rationes ex præmissis positionibus solvens.

Objectio I.

Per pacta primæva, & juramentum a Rege Sigismundo præstitum, omnia privilegia Statibus fuisse confirmata, ergo etiam jus eligendi, (h)

Argumentum a confirmatione privilegio

Petitio est principii, seu juxta Logicorum loquendi morem, Circulus, cum privilegium aliquod litigiosum, de quo sub judice

nuum propriarum Commissariorum Reg. Majestatis, n. XXIV. nec non ejusdem *acceptatione, a Supremis Consiliariis Curlandiæ & Semgalliæ,* nec non *Deputatis ex omnibus Districtibus*, suo ac totius Nobilitatis nomine, subscripta, ibid. n. XXV.

(h) *Vid. Anonymi Brevis & succincta enaratio jurium Curlandiæ & Semgalliæ circa electionem novi Principis*, p. 8.

judice lis pendet, reliquis actu subsistentibus privilegiis, tanquam confectum, accensetur, & sub confirmationis ambitu comprehenditur; hinc conclusio manet ambigua, si illud jactatum electionis jus antea substitit, etiam hac confirmatione corroboratur; si vero locum nunquam habuit, confirmatum quoque non poterit supponi. Quod autem tale nunquam exstiterit, multominus inter concessa privilegia subintellectum fuerit, vel inde licet colligere, quod, prouti pacta subjectionis cum integra Livonia, non sola Curlandia, contrahebantur, ita & privilegia toti Livonicæ Nobilitati indulgerentur, quibus si quoddam electionis jus involutum vel comprehensum fuisset, sequeretur, & reliquæ Livoniæ tale suffragiorum privilegium fuisse confirmatum, quod tamen cum immediata hujus incorporatione implicuisset, adeoque dubium eximit omne, ad simile, Curlandiæ Proceribus privative competens, jus in communi totius Livonicæ Nobilitatis instrumento tum non potuisse respici, nec in præsens provocari.

rum ad confirmatum, electionis jus petitio est principii, quia in generalibus privilegiis totius Livoniæ Nobilitatis non poterat comprehendi jus, cum immediata incorporatione implicans.

Objectio II.

Ducem Curlandiæ in locum Magistri Livoniæ fuisse substitutum; Cum ergo Nobilitas jus eligendi Magistrum habuerit, etiam electione Ducis eandem non posse privari, (*i*)

Falsis iterum suppositis similem producit conclusionem. Quod enim Dux in Magistri locum substitutus sit, omnes sane, quibus Ducatus Curlandici origo perspecta est, inficiabuntur. Integer enim Teutonicus in Livonia Ordo exspiravit ac desiit, & *Magister prorsus sublatus est*, postquam Provinciæ, Russorum viribus impares, subjiciendo se Poloniæ Regi obtinuerunt, ut contra hostilem subactionem easdem defenderet. Magister Ordi-

Substitutio Ducis in Magistri locum, infirmis nititur suppositis,

(i) Vid. *Brevis & succincta enarratio Jur. Curl. & Semg.* p. 9.

sublato Ordine integro nulla substitutione Magistri opus erat,

alias Kettlerus totius Livoniæ Dux debuisset renunciari,

imo in numero Imperii Principum,

pristinaque ante omnes Seculares Principes dignitate, retineri;

Nobilitas nunquam elegit Magistros Livoniæ,

Ordinem solenni ritu deposuit, crucem auream, sigillum, literas ac diplomata, Ordini quondam a Summo Pontifice & Imperatore concessa, in manus Principis RADZIVILII, Palatini Vilnensis, consignavit, omnique dominii juri renuncians statum prorsus mutavit, (*ii*) ut sane nulla in ipsius locum substitutio, vel surrogatio, deprehendatur. KETTLERUS, Magister, integræ Livoniæ præerat, si ergo Dux Curlandiæ in ejus locum substitutus fuisset, totius Livoniæ Dux debuisset renunciari, cujus vix quartam partem obtinuit. Rex autem Poloniæ, SIGISMUNDUS AUGUSTUS, vi subjectionis, Livoniæ Dux erat, suumque Locumtenentem & Propræsidem, KETTLERUM, constituit, assignato ipsi interea utili in Curoniam dominio, cum Ducali dignitate, omnique proprii feudi qualitate ad hæredes derivanda; Vnde etiam fit, ut in privilegiorum Articulis, Livoniæ Nobilitati circa subjectionem indultis, nunquam *Dux*, sed ubique adhuc *Magister*, salutetur. Si porro Curlandiæ Dux in locum Magistri Livoniæ substitutus fuisset, sequeretur, quod etiam Princeps Imperii Romano-Germanici, qualis antea erat, permansisset, Statusque Livoniæ sub pristino Imperii nexu, tanquam ipsius Ordines, perseverassent, qui tamen per insecutam subjectionem sub novum dominium plane diremtus & sublato Ordine solutus fuit, ita, ut Magister, post Ordinis mutationem, pristinum quoque locum, quo inter Ecclesiasticos Principes, ante omnes Seculares, Marchiones, Landgravios & Duces, præfulgebat, insimul amiserit, & tanquam Curlandiæ Dux dignitatem pariter mutaverit. Secundo exceptionis loco negatur etiam, *Nobilitati jus eligendi Magistrum unquam competiisse*, sublata in antecessum æquivocatione *Nobilitatis & Equestris Ordinis*, ne verbis ludatur, aut diversæ hæ notiones,

---

(ii) Hanc omnimodam *status mutationem* ipsa *subjectionis pacta* sub exordio atque Artic. VII. nec non *proœmium privilegiorum* commemorant.

tiones, tanquam Synonyma inter se confundantur. (*k*) Equestris Ordo sumitur, vel pro ipso quondam Teutonico Ordine, proprie sic dicto, vel pro Nobilibus & Equitibus, in oppositione ad Ordinem civitatum. Ita, si dicitur, *Equestris Ordo Livoniæ elegit quondam Magistrum suum*, ab A. 1535. ad A. 1561. per 36. annnos, *in priori sensu verum est*, si intelligatur de Nobilitate Regulari, Ordinem Teutonicum constituente; *falsum vero juxta posteriorem notionem*, si applicetur ad Nobilitatem Secularem, nunquam hoc jure gavisam. Equestrem namque Ordinem, proprie dictum, constituebant ii Nobiles, qui prævia probatione in novitiatu & nuncupatis ordinariis votis, regulam & religionem Ordinis amplexi, in eundem cooptabantur; Sub Nobilitate vero generatim intelligebantur Nobiles provinciæ, Ordini Equestri non incorporati, sed in ejus ditione quasdam terras, jure feudi, instar vasallorum, possidentes, & ad posteros suos transmittentes. Absit itaque, ut hæc Nobilitas Secularis jure quodam eligendi Magistrum gavisa sit, cum nequidem societas Ordinis Equestris tali prærogativa uteretur, quandoquidem per tria fere secula, quibus Ordo Teutonicus Livoniæ imperabat, supremus semper in Prussia Magister, cum Capitulo suo, Provinciales in Livonia Magistros nominabat, ita quidem indubitato, ut ea vice, qua, interfecto in pugna contra Lithuanos Magistro, GERSDORFIO, Ordinis Marescalcum A. 1439 sibi præfici cuperent Livoni Equites, nonnisi summis precibus & maxima opera a PAULO RUSDORFIO, supremo Magistro, petiti compotes reddi potuerint, (*l*) donec tandem WALTHERUS PLETTENBERGIUS ab ALBERTO, Marchione

Distinguendo inter Equestrem Ordinem & Nobilitatem,

Sed Supremus Magister eos ab A. 1238. ad A. 1521. nominavit, quo Plettenbergius illud jus in Ordinem suum derivavit;

(k) *Distinctionem hanc* ipsum exordium *pactorum subjectionis*, præsertim Artic. V. suppeditant, ubi tam ipsorum membrorum *Teutonici Ordinis*, quam *Nobilitatis Livoniæ*, separata injicitur mentio, inter *annexa Documenta*, n. I.

(l) Teste *Alberto Krantzio*, lib. XI. *Vandaliæ*, cap. XXXV. *Russovio, Chron. Livon.* P. I. p. 47. vid. supra Thesi I. not. (a)

ne Brandenburgico, ultimo in Prussia Supremo Ordinis Magistro, in subsidium belli Polonici numorum egente, illud obsequium, quo ab A. 1238. Supremo Magistro devincti erant, soluta conspicua numorum summa, A. 1521. redemerit. (*m*) Post insecutam cujus A. 1535. mortem *Equestris Ordo Teutonicus* in Livonia, non vero *Nobilitas Secularis*, multominus Curlandiæ speciatim, tanquam Livoniæ particula, Provincialem Magistrum eligere cœpit, (*n*) usque ad tempus subjectionis, A. 1561. ut hoc brevissimum temporis spatium, turbulentum inprimis & litigiosum, vix in censum veniat, vel jactatum aliquod ab antiquo jus arguat, sed tantum id doceat, Ordinem Eqvestrem totius Livoniæ, non autem solius Curlandiæ, cujus nulla unquam separata mentio fit, habuisse quidem ab illo tempore jus eligendi Magistrum, hoc vero mox cum interitu Ordinis, ac mutato Magistri statu, ex religioso in secularem, ex cœlibe in uxoratum, penitus cessasse & exspirasse, siquidem non existente amplius Magistro nulla quoque ulterius locum habebat electio. Hinc Curlandiæ Nobiles hoc totius Ordinis Equestris Livonici jus sibi frustra arrogant, atque post integram Regiminis Livonico-Curlandici mutationem & abolitum Ordinem ad electionem Ducis perperam detorquent. Duplici itaque vitio Logico laborat hæc Apologi Curlandici argumentatio: *Kettlerus in Conventu Valkenensi communi Equestris Ordinis suffragio in Magistrum Livoniæ electus est; Ergo Ordo Equestris Curlandiæ & Semgalliæ cum suo electo & jure eligendi in protectionem Regis Polo-*

Hoc defuncto Equestris Ordo Teutonicus, non vero Nobilitas Secularis, Magistrum eligere cœpit,

quod perbreve electionis Magistri exercitium cum ipsa Ordinis abolitione exspiravit

Hinc non sequitur, Magister ab Equitibus Teutonicis electus est, ergo Dux Curlandiæ a Nobilitate seculari eligendus

(m) Vid. supra §. V. annotat. (tt) tenore *Diplomatum*, Regiomonti, A. 1521. & Posonii, Anno 1525. ab *Alberto*, *ultimo Prussiæ Magistro*, signatorum.

(n) Post mortem *Plettenbergii* A. 1535. electus *Hermannus Bruggeneus*, & hoc defuncto A. 1549. *Joh. Reckius*, post hunc A. 1551. *Henr. Galenus*, & in ejus locum A. 1557. *Guil. Furstenbergius*, quo abdicante A. 1559. *Gotth. Kettlerus*, ultimus.

Poloniæ venit. (*o*) Primo namque fallacia committitur æquivocationis termini *Ordinis Equeſtris*, qui in præmiſſis ſumitur pro toto Ordine Teutonico in Livonia, in concluſione autem pro Nobilitate ſeculari Curlandiæ, ſubjecta & feudataria Ordini Equeſtri Teutonico, quæ jus eligendi Magiſtrum nunquam habuit; Deinde etiam plus ponitur in concluſione, quam in præmiſſis, quia Nobilitati ſeculari Curlandiæ plus juris tribuitur, quam integro quondam Teutonico Ordini in Livonia, cui quidem a dicta PLETTENBERGII periodo jus competebat, eligendi Magiſtrum, ſed tantum ad vitæ tempus, hic autem Curlandicæ Nobilitati ſeculari jus vindicatur, non ſolum Magiſtrum ad dies vitæ, ſed quoque Ducem, cum dominio ad poſteros derivando, ope ſuffragiorum eligendi, quaſi omne quondam totius Ordinis Equeſtris Livoniæ jus in ſolam Curlandiæ Nobilitatem ſecularem, Ordinis olim feudatariam, concentratum, aut etiam Kettlerus, vel ſolius Curlandiæ Magiſter, vel hujus Dux electus, fuerit, quem tamen conſtat, mutato ſtatu Equeſtri, demum a Rege SIGISMUNDO AUGUSTO, ſpeciali gratia & favore, Ducali titulo ornatum, atque utili in Curlandicum feudum dominio donatum, fuiſſe, loco cujus etiam Rex, ex conſilio Senatorum ſuorum, non vero Nobilitatis Curlandicæ, aliam Livoniæ partem ipſi pro feudo aſſignare potuiſſet, ita, ut Curlandiæ Nobiles easdem vices, ac paria fata cum reliqua Livoniæ Nobilitate experti, ac viciſſim alterius Livonici tractus Nobiles Ducali immediato dominio, ipſorum loco, ſubjecti fuiſſent.

Livoniæ Nobilitas nunquã jus habuit, eligendi Magiſtrum, multominus ejusdem particula Curlandiæ habebit facultatem eligendi Ducem,

poſt mutatum provinciæ ſtatum & finitum Ordinem

OBJE-

(*o*) Argumentatio eſt *Anonymi*, in *brevi & ſuccincta Enarratione Jurium Curlandiæ & Semgalliæ, circa electionem novi Principis*, p. 8.

Objectio III.

Exemplis Palatinorum Moldaviæ & Valachiæ constare, quod in Regno, ubi libera Regis electio Nobilitati competit, in eodem quoque Ducatibus facultas eligendi Ducem, quam ante incorporationem habuerunt, relicta sit, (p)

Consequentia a Regno electivo ad similes Ducatus laborat nexu,

Levissimi ponderis est. Primo namque apud Palatinos Moldaviæ & Valachiæ, qui A. 1485. CASIMIRO III. Poloniæ Regi, se subjecerunt, & præstito homagio, per bina fere secula, Polonico sceptro paruerunt, (*q*) nunquam, teste Historia, electionis jus obtinuit. Deinceps autem comparatio inter liberam Ordinum Regni Poloniæ electionem, & jactata Nobilitatis Curlandicæ suffragia, figuram sapit nimis Rhetoricam & ingenii potius lusum, quam serium assertum. Tali enim computo Curlandiæ Proceres peculiare Reipublicæ corpus, instar Polonici, constituere possent, omni incorporatione cum Poloniæ Regno soluta, ne deterioris essent conditionis, quam Poloniæ Ordines. Hoc pacto etiam Hungariæ & Bohemiæ Proceres, ipso electionis jure revera quondam gavisi, antiqua suffragia denuo resuscitare possent, si ratio sufficeret, *se nolle inferioris esse conditionis Poloniæ Ordinibus*, tali electionis prærogativa præditis. (*r*) Eadem pariter ratione Curlandiæ Duces, tanquam Principes & Consiliarii Regni Poloniæ, ne exilioris forent dignitatis, quam reliqui Regni Proceres, ipsimet votum in electione Regis præ-

perinde ac comparatio inter Ordines Poloniæ & Curlandiæ,

ex inductione exemplorum implicat,

(p) In citata *Enarratione Jurium Curland.* p. 9. 10.

(q) Vid. *Stanislai a Kobierzycko Kobierzicki*, Castellani Gedanensis. *Histor. Vladislai*, Poloniæ & Suec. Principis, lib. IX. p. 630. edit. Dantisc. 1655. 4. *Formula juramenti*, atque *descriptio solennis homagii præstationis*, habentur apud *Prilusium*, loc. cit.

(r) Argumentum est *Nobilis Curoni*, in *Solida Demonstratione*, qua *facultatem eligendi Ducis ad Ordines Curlandiæ & Semg. optimo jure devolutam esse*, ostenditur, hinc repetitum a *Zschackwitzio*, P. II. *Prætensionum Illustr.* sect. IV. §. XIV. n. VII.

prætendere potuiſſent, quod tamen nunquam, æqueminus ac quondam Mazoviæ & Pruſſiæ Duces, nec non Magiſtri Teutonici in Pruſſia, licet ceteroquin Principes & Conſiliarii Regni Poloniæ, obtinere potuerunt. (s) Ultimo tandem loco minus apte concluditur: *In quocunque Regno libera Regis electio Nobilitati competit, in eo & Ducatibus eligendi facultas relinquitur;* In Imperio enim Romano-Germanico Ordini Electorali libera omnimode electio ſummi Capitis competit, propterea tamen Ducatus Imperii non ſunt electivi, in quibus jus primogenituræ & ſucceſſio linealis agnatica introducta ſunt, vel, deficiente etiam omni ſtirpe, pacta confraternitatis obtinent, ita, exempli cauſa, in Ducatu Wurtembergico, caſu extinguendæ omnis Ducalis proſapiæ, non obſtante vigentis in Imperio electionis, Ordinibus tamen neutiquam integrum foret, Ducem eligere, quia jus devolutionis Domui Auſtriacæ reſervatum fuit: (*t*) Ita per applicationem ad præſens argumentum non fluit illatio, ***in Regno Poloniæ electio obtinet, ergo etiam in incorporatis ipſi Ducatibus***, ceteroquin enim Mazovienſis pariter electivus foret.

Ducatus enim Imperii non ſunt electivi, quamvis Imperium ſit electivum

Objectio IV.

Succeſſionem hæreditariam lineæ Kettlerianæ antiquo mori & præeminentiæ Ducatus Curlandiæ, vel electionis juri, nequicquam derogaſſe, æqueminus ac regnante in Polonia Lechica, Piaſtenſi & Jagellonica, linea, Regnum hæreditario-ſucceſſivum eligendi libertatem amiſerit, (*u*)

G Ex

(s) *Reſponſum in Comitiis, Regio nomine,* Oratoribus Alberti, Ducis Pruſſiæ, *de quæſito in electione Regis Poloniæ voto*, negative datum, Vid. apud *Priluſium*, in *Statutis Regni Polon.* lib. V. cap. III. p. 784.

(t) Vi *transactionis Pragenſis, cum Rudolpho* II. A. 1599. initæ, juxta exemplar Chartophylacii Vindobon. in T. V. *Corp. Dipl. du Mont*, P. I. n. 268. f. 593. Vid. *Imhofii Notitia Procer. Imp.* lib. IV c. VI §. II p. 169 *Herald. Europ.* Sect. II. cap. VIII. f. 244. 245. edit. Francof. 1688. f.

Forma hæreditario-electiva

in applicatione ad feudum Curlandicum male quadrat,

ob triplicem respectu Poloniæ Regni differentiam,

Ex inconveniente applicatione corruit. Nam in thesi quidem conceditur, electionem posse concurrere cum successione ad proximos hæredes, quemadmodum exemplo lineæ Jagellonicæ successivo-electivo in apricum ponitur. In Imperio pariter Romano-Germanico sceptrum Regiminis per tria fere secula in Archiducali Domo Austriaca, accedente semper electione, permansit: In applicatione autem horum exemplorum ad successionem Curlandicam Kettlerianam triplex insignis notanda venit differentia, *primo*, quod in Imperio æque ac in Poloniæ Regno electio in quocunque casu semper præcesserit, licet illa, propter rationes politicas eandem præferendo familiam, in hujus hæredibus substiterit, *deinde* quod hæredes per successionem nullum jus habuerint, sed per electionem obtinuerint, & nolentibus Ordinibus succedere non potuerint, *tertio* quod illa per eandem lineam continuatio per nullius superioris potestatis arbitrium determinata & limitata fuerit, ubi e contrario in exemplo Curlandico successionis Kettlerianæ *initio* nulla unquam electio intervenerit, *secundo* hæredes per primam totius lineæ investituram Regiam jus quæsitum & hæreditarium, in feudum succedendi, jam habuerint, imo invitis etiam Proceribus succedere potuerint, *denique* vero illa succedendi ratio a supremo Feudi Curlandici dominio, absque ulla Nobilitatis consultatione, aut interventione, in antecessum determinata fuerit, nec postea ipsorum suffragiis opus habuerit. Vnde applicatio hæreditario-electivæ periodi in Poloniæ Regno ad successionem Curlandicam feudalem, ab Apologo Curono liberaliter pertracta, quod pace ipsius dictum sit, maximopere vacillat.

OBJE-

(u) Vid. *Brevis & succincta enarratio Jurium Curl. & Semg.* pag. 11.

Objectio V.

Curlandiæ Proceres jus præsentandi Principem, jam post subjectionem, in JACOBO, Guilielmi filio, exercuisse,

Sublato ambiguo *juris præsentandi* termino, rite explicanda est, ne æquivocis utendo verbis, meliora edocti offendantur, incautiores vero eo facilius in devia pertrahantur. Si enim *præsentandi jus* pro liberæ electionis synonymo sumitur, plane falsum est, quod ejusmodi actus hic intervenerit; si autem juxta subnexam illustrationem de interpositis in gratiam JACOBI, Ducis, a Nobilitate precibus, intelligitur, maxime impropria est locutio, cum verba ad exprimendas rei notiones idonea sint adhibenda. Ipsa autem facti historia ita sese habet: Postquam GUILIELMUS Dux, alter GOTTHARDI filius, ob cædem a Satellitibus Ducalibus A. 1613. in MAGNUM NOLDIUM patratam, vigore Decreti Regii, patrio Ducatu extorris proscriberetur, & octodecim annos in exilio degeret, (*x*) Curlandiæ Proceres, veriti, ne Rex Poloniæ, paternum delictum in filium vindicaturus, eundem pariter ab avita in feudum successione excluderet, datis supplicibus ad Regem literis, transmissionem feudi Curlandici in JACOBUM, Ducem, debito obsequio efflagitarunt, ne Rex forsitan aliter de ipso vacaturo disponeret, quibus tandem etiam Rex, in Comitiis Varsoviensibus, A. 1637. intuitu promissæ avo, GOTTHARDO, pro integra sua stirpe, successionis, clementer annuit. Vtrum vero hic actus vel *liberæ electionis*, vel modestiorem *juris præsentandi*, appellationem mereatur, æquo lectori dijudicandum relinquitur. Hoc pacto enim sequeretur, quod etiam Reges Daniæ & Sueciæ, nec

Supplicatio pro successione Ducis Jacobi incongruo juris præsentandi habitu in scenam producitur.

Alii enim Principes intercesserunt.

(x) *Pauli Piasecii Chronic. Gestorum in Europa Singularium*, ad A. 1632. f. 529. edit. Cracov. 1648. f. & *Nicol. Zalaszovvski Jus Regni Polon.* T. I. lib. I. Tit. 31. §. 2. *de Ducatu Curl.* p. 666 edit. Posnan. 1700 f. Ipsa *Decreti Regii formula* de A. 1613. inter *annexa Docum.* legitur.

qui tamen propterea non habent jus præsentandi Ducem

nec non Elector Brandenburgicus & Proceres Regni, pro JACOBO, ne ob culpam patris a feudo excluderetur, intercedentes, jus præsentandi exercuerint, adeoque & his similiter jus, eligendi Ducem Curlandiæ, nunc competeret.

OBJECTIO VI.

Consolidationem Dominii utilis cum directo, in formula juramenti novo Duci præstiti contentam, non æternam, sed temporariam esse, & ad tempus vacantis sedis Ducalis determinandam, (y)

Vi consolidationis ille de feudo potest disponere, ad quem utile dominium redit,

Simpliciter contra ipsos Curlandiæ Proceres militat; Sufficit enim, ut devolutionem feudi aperti ad verum hæreditarium Dominum & consolidationem utilis dominii cum supremo, directo & eminenti, sive illa jam æterna vel temporaria & periodica sit, concedant, per consequens etiam necessario admittere debent, utile dominium, quod, ex propria confessione, non ipsis, sed Regiæ Majestati, Regnoque Poloniæ, devolutum est, ab ipsorum dispositione non pendere, sed in solo supremi dominii cum quo consolidatum est, arbitrio fundari, & penes ipsum stare, quando, & cui novo feudatario, idem conferre velit. Superaddita autem ab Anonymo ratio, *quod Curlandiæ Nobilitas jure suo habendi Duces se nunquam abdicaverit*, in tantum utique vera est, in quantum nemo se aliqua re abdicare queat, quam nunquam possedit. Jam vero Curlandiæ Proceres jus tale nunquam habuerunt, siquidem solus Poloniæ Rex Ducem ipsis constituit, atque Curlandiam, ipsis non consultis, in Ducatum evexit, loco cujus aliquam aliam Livoniæ provinciam, post mutatum Kettleri statum, ex consilio Senatorum suorum, Ducali dignitate insignire potuisset. In ipsa subjectione non statim Ducis

Curlandiæ Proceres non abdicarunt se jure, quo nunquam gavisi,

Rex Poloniæ, in gratiam Kettleri, Ducem ipsis dedit,

(y) Brevis & succincta Enarratio jurium Curl. & Semg. p. 18.

Ducis titulus obtinuit, quæ ratio eſt, quare in integris Privilegiorum Articulis continua Magiſtri Livoniæ, verum nunquam Ducis, mentio fiat, deinceps autem in ſubſecutis ſubjectionem pactis demum appromiſſus fuit, ſed non determinate qualis, & quando, quoniam ipſa infeudatio nec non tituli, inſignium & honorum, ſolennis conceſſio, ad Regis reditum ex Polonia dilatæ fuerunt; (z) & quamvis interea Curlandiæ & Semgalliæ tractus eventualiter ipſi aſſignaretur, ipſa tamen infeudationis confirmatio poſt aliquot annos ex conſilio & conſenſu Ordinum Regni & Magni Lithuaniæ Ducatus, non ex Nobilitatis Curlandicæ beneplacito, aut electione, aut jure habendi Ducem, A. 1569. demum ſubſecuta eſt. Cum igitur ipſe Equeſtris Ordo Teutonicus, multominus Nobilitas ſolius Curlandiæ, tempore ſubjectionis, dum ipſa pacta inſtruebantur, non habuerit, neque arrogaverit ſibi, jus eligendi Ducem Curlandiæ, nam titulus Ducis vigore eorundem pactorum reſervabatur determinationi Regis & Regni Procerum, idque reſtricte tantum, ad lineam maſculinam legitimam; ergo etiam in caſu aperturæ hoc jus ſibi tribuere nequit.

cui aliam Livoniæ partem aſſignare potuiſſet,

ubi tunc ipſorum jus habendi Ducem?

Objectio VII.

Conformitatem Curlandici Ducatus cum Pruſſico idem jus, quod Pruſſiæ Ordines eligendo ſibi Duces, vigore Actorum Commiſſionis, A. 1609. exercuerint, etiam Curlandiæ Proceribus adjudicare, (a)

Eodem vigore in contrarium retorquetur. Conformitas quidem illa utriusque Ducatus Pruſſici & Curlandici in dubium vocari nequit, quia tam pacta ſubjectionis, quam privilegiorum Arti-

(z) Vid. Art. VII. *Pactorum ſubjectionis.*

(a) *Objectio eſt Nobilis Curoni*, in allegata *ſolida Demonſtratione*, repetita a *Zſchackwitzio*, P. II. *Prætenſionum Illuſtr.* Sect. IV. §. XIV. n. VIII.

Concessa conformitas Curlandici Ducatus cum Prussico

Articuli, nec non Regiminis formula, ad eandem subinde provocant; Cum vero hic in favorem suum a dissentientibus allegetur, etiam alibi, ubi summopere ipsorum hypothesi adversari videtur, perinde pro decidendi norma admittenda est, alias enim hic loci ipsis nihil prodesset, si vera est regula, quod qui actum impugnat, aut instrumentum, ex eodem se juvare nequeat, quandoquidem contradictorium apparet, quemquam simul ex principio, quod alibi rejicit, fructum velle consequi. (*b*) Admissam igitur utrimque hanc, tanquam communibus instrumentis fundatam, conformitatem contra ipsum Curlandicæ electionis assertum retorquere, ac invertendo argumentum, inferre liceat, quod jus suffragiorum, in casu aperti feudi, Prussiæ quondam Ordinibus nunquam concessum, æqueminus Curlandiæ Proceribus competere queat. In prima ALBERTI, Marchionis, investitura ipse & hæredes masculi legitimi ad successionem hæreditariam Ducatus Prussici vocabantur, eisque decedentibus GEORGIUS, illi vero CASIMIRUS, & huic tandem IOHANNES, Marchiones, nulla electionis mentione injecta, sola hæreditaria in feudum successione, substituebantur, omnibus autem quatuor Principibus, absque legitima prole defunctis, *Ducatus devolutio Regibus Regnoque Poloniæ reservabatur.* (*c*) Interea JOACHIMUS II. primi filius, Elector Brandenburg. respectu affinitatis, a Rege SIGISMUNDO AUGUSTO, cujus sorori nupserat, jus investituræ simultaneæ, & spem successionis in Prussiæ Ducatum, A. 1563. obtinuit, (*d*) post obi-

vicissim arguit, Curlandos frustra jactare jus, quod Prussiæ Ordines non habuere,

ceu ex Historia totius successionis Prussicæ negotii evincitur,

ubi successionis Ducalis ab Onoldina linea in Electoralem translatio a Regibus Poloniæ petita & obtenta,

(b) Cap. 38. de *Regulis Juris*, in VI. *Decretal.* *Ex eo non debet quis fructum consequi, quod nisus exstitit impugnare*, cui similis alia, *frustra legis implorat auxilium*, &c.

(c) *Instrumentum transactionis* inter *Sigismundum I.* & *Albertum*, March. Brand. *primum Pruss. Ducem* A. 1525. Cracoviæ signatum, apud *Prilusium* l. c. p. 762. *Diploma investitura* ibid. f. 770. *Formula Consensus Ordinum Prussiæ*, ibid. p. 775

(d) Vid. *Privilegia Ducatus Prussiæ*, junctim edita, lit. A.

obitum ejus ab eodem Rege in Electore, JOHANNE GEORGIO, d. 16. Sept. 1571. Varsoviæ confirmatam. (*e*) Aegrotante dein ALBERTO FRIDERICO, GEORGIUS FRIDERICUS Curatorium a Rege STEPHANO A. 1578. obtinuit, (*f*) & post illum JOHANNES SIGISMUNDUS, Cracoviæ d. 29. April. 1609. qui etiam, defunctis improlibus, GEORGIO & ALBERTO, jure avi acquisito, in Prussiæ Ducatum A. 1611. successit, & penes SIGISMUNDUM III. Regem effecit, ut tribus fratribus idem successionis jus, vi simultaneæ investituræ, tribueretur, (*g*) quo pacto etiam ipsi GEORGIUS WILHELMUS, & huic FRIDERICUS WILHELMUS, successit, in cujus favorem CASIMIRUS, Rex, A. 1657. feudale vinculum, reservato tamen, extincta stirpe, devolutionis jure, dissolvit. (*h*) Quo integro feudi Prussici negotio, a prima ipsius institutione A. 1525. usque ad illam transactionem anni 1657. neque in determinata hæreditaria successione, neque petita toties & indulta simultaneæ investituræ extensione, qua, stante electionis jure, non opus fuisset, nulla Ordinibus Prussiæ data fuit occasio, multominus facultas, quoddam electionis jus exercendi. *Acta Commissionum Regio-Polonicarum*, annis 1609. & 1612. Regiomonti habitarum, (*i*) ad quæ Apologus Curonus provocat, ne verbulum quidem juris eligendi, vel actus

a primi feudi origine A. 1525. ad ejus solutionem, A. 1657. sub Regia investitura, continuavit.

Acta Commissionis, nullum instrumentum exhibent, electionis actum docens,

(e) *Renovatio simultaneæ Investituræ* deprehenditur inter *privilegia* cit. lit. D.

(f) *Diploma infeudationis* seu Curatorium habetur l. c. lit. I.

(g) *Diploma Regium*, d. 16. Nov. 1611. habetur inter *Privilegia Ordinum Ducatus Prussici*, Brunsbergæ 1616. f. edita, p. 122. cui etiam subjiciuntur *Literæ Reversales, Commissariis Regiis Polonicis desuper datæ*, p. 126.

(h) *Sam. Pufendorfii de Rebus Gestis Frid. Wilh.* lib. VII. §. 50. p. 433. Artic. V. *Tractat. Velaviensis*, d. 19. Sept. 1657. signati, in *Nic. Zalaszovvski Addit. Juris Regni Polon.*

(i) *Acta & Decreta Commissionum S. R. M. Polon. & Sueciæ*, Regiom. 1609. & 1612. habit. itemque *Responsa, Cautiones & Transactiones circa feudum Ducale Prussiæ* &c. Cracoviæ 1614. f. itemque inter *Privilegia Ordinum Ducatus Prussiæ*, Brunsbergæ 1616. f. junctim edita, per extensum leguntur, f. 98. sqq.

actus electionis ab Ordinibus usurpati, vel invito etiam Poloniæ Rege, ceu ipse comminiscitur, vindicati, introspecturis exhibent, quin potius ipsissimum contrarium loquantur: *Curatorium* enim SIGISMUNDI III. Regis, JOHANNI SIGISMUNDO, Electori, pro ægrotante ALBERTO FRIDERICO, Cracoviæ, d. 29. April. 1609. Regia autoritate, inconsultis Prussiæ Ordinum suffragiis, concedebatur; (*k*) *Dispositio Regia de Feudo Prussico*, ex Constitutione Comitiorum Regni Generalium, Varsoviæ A. 1611. celebratorum, in favorem JOHANNIS SIGISMUNDI, Electoris, & trium fratrum, non ad deliberationem Prussiæ, sed Poloniæ, Ordinum concepta legitur; (*l*) *Literæ supplices Consiliariorum Ducatus Prussiæ*, & universæ Nobilitatis & Civitatum, ad Regiam Poloniæ Majestatem, Regiomonti, d. 11. Nov. 1611. datæ, ad nullum electionis jus provocant, sed commoda publica ex Regimine immediato Ducali allegantes, ad solam Regis clementiam confugiunt, (*m*) quo tenore etiam *Responsoriæ Regiæ*, d. 20. Nov. ejusdem anni 1611. signatæ, fluunt, (*n*) & non solum descriptio totius infeudationis negotii, (*o*) sed etiam Literæ, privilegia, cautiones & Recessus, Commissionis ibidem A. 1612. celebratæ, (*p*) qua Commissarii Regii supradicto JOH. SIGISMUNDO, Electori, possessionem Ducatus tradiderunt, & juramentum,

neque Curatorium Sigismundi, Regis, pro Joh. Sigismundo, Electore,

neque Regia de feudo dispositio & heredum substitutio,

neque literæ supplices Ordinum ad Regem,

neque Responsoria Regiæ,

neque Reversales Commissariis Regiis exhibitæ,

(k) Vid. *Acta Commissionis* fol. 37.

(l) *Acta Commiss.* f. 33. in Collectione Brunsbergensi, p. 112. & 122. 126.

(m) *Acta Commiss.* edit. Cracov. f. 40. edit. Brunsberg. p. 119. Vbi Ordines his inter alia utuntur verbis: *Gratissima mente clementiam & solicitudinem S. V. Majestatis Reg. erga nos patriamque Nostram ex eo agnoscimus, quod nuper Illustrissimo Electori, in Prussia Duci, per Commissarios suos curam ægri Principis nostri & hujus Ducatus administrationem conferre voluerit;* (ergo non intuitu electionis Ordinum præviæ) - - *Quocirca S. Reg. Majestatem precibus nostris perhumillimis obtestamur, ut - - tam Celsitudini ejus Electorali, quam desideriis nostris, votisque humillimis, satisfacere dignetur.*

(n) *Acta Commissionis*, f. 42. edit. Cracov. & p. 142. editionis Brunsberg.

(o) *Acta Commissionis*, f. 43. sqq.

(p) *Acta Commiss.* f. 71. 78. sq.

mentum, secundum transactionis conditiones, Regio Regnique nomine, exegerunt, conceptæ sunt, ita, ut in integra Actorum designatione nullum deprehendatur instrumentum, quo aliquis electionis actus corroborari queat. Vnde ex concessa a dissentientibus Curlandici Ducatus cum Prussico conformitate & subministrato Actorum argumento, in quibus altum asserti est silentium, nunc contra eos retorquendo concludere liceat, cum in quondam Ducatu Prussiæ nulla electio obtinuerit, talem quoque in simili Ducatu Curlandico perperam supponi. *jactatum electionis actum demonstrant*

Objectio VIII.

Jus eligendi Ducem in Curlandia eo magis obtinere, quo majores ipsi prærogativæ, tanquam oblato, & non dato feudo, cui Respublica Poloniæ de peculio suo nihil addiderit, merito concedendæ sint, (q)

Incerto iterum nititur supposito de *Feudi oblati* qualitate. Primo namque problematica atque sub judice pendens quæstio, utrum Curlandicum feudum ad *datum* magis, quam *oblatum*, accedat, tanquam confecta & decisa præstabilitur. In superioribus quidem plures circumstantiæ allatæ sunt, quæ illud omnino exilioris, quam reliqua oblata, conditionis, reddere possent, (r) sed illas veluti per transennam ibi inspicere lubuit, quoniam ad firmandam thesin utriusque effectus idem erat; Cum vero *oblati* qualitates in abusum huc pertrahi videantur, pro rite formando quæstionis statu monendum est, quod ordinarie oblata beneficiario modo ad feudatarium offerentem redire solebant, ceu ex inspectione omnium supra allatorum, aliorumque exem- *Oblati feudi qualitates ad Curlandiam frustra applicantur,*

 plorum,

(q) Objectio est *Nobilis Curoni*, in *Solida Demonstratione* citata, a *Zschackvitzio*, *P. II*, *Prætensionum Illustr.* Sect. IV. §. XIV. repetita, n. IV.

(r) Vid. supra Thes. II. p. 31. sq. & annotat. (i)

quæ cum Livonia non sponte oblata, sed invite subjecta,

plorum, collatione patescit. Livonia autem ad Magistrum non rediit in feudum, evidenti argumento, hic potius subjectionem, quam oblationem, locum habuisse. Hæc enim plerumque in aliis exemplis spontanee & non coacte fiebat, Kettleriana vero invite, in extremis angustiis, & desperatis quasi rebus, ob denegatum ab Imperio & Suecis auxilium, nulla alia salutis via superstite, quam in Poloniæ clientela, quæ, absque prævia subjectionis sponsione, armatam provinciarum defensionem suscipere abnuebat. Magister itaque non obtulit, sed subjecit, Regi consensu Ordinum Livoniam, perinde ac quondam Ensiferorum Ordo Teutonicis Equitibus se submiserat. Subjecta autem provincia non denuo in feudum, prouti in ceteris oblationibus, ipsi reddita, sed Regno Poloniæ, certis pactorum Articulis, immediate incorporata fuit, excepta ipsius parte Curlandia, quam Rex Magistro Ordinis, qui post mutatum statum, & abdicatum Ordinem, provinciis jam exutus, testibus ipsis Curlandicis Historicis coævis, domum, vel alio, se conferre statuerat, (rr) in feudum adjudicavit, ad legitimos ipsius hæredes masculos transitorium, ita, ut si vel maxime Livoniam, complexive sumtam, oblatum feudum appellare liceret, Curlandia tamen pro dato potius haberi debeat, Poloniæ Regis arbitrio a reliquo Livoniæ corpore separatam Regiminis formam nacta. Hinc non apparet, quo jure particula totius subjectæ provinciæ, beneficio Regis in Magistrum cum utili dominio concessa, oblati feudi nomine possit insigniri, in quam potius dati qualitates cadere videntur, nec evidens est, quo titulo Curlandi, qui semper torrentem fatorum corporis, cujus membrum erant, ante secutam ab eo separationem sequebantur, causari queant, se provinciam suam Regi obtulisse, & vel inde aliquot feudi oblati præro-

cum qualitatibus dati feudi Magistro Livoniæ concessa

(rr) *Salom. Henning. Chron. Livon. Curl.* P. I. p. 30.

prærogativas acquisivisse, ad suffragiorum jura nunc extendendas. Secundo dehinc exceptionis loco falsum est, Rempublicam ex peculio suo nihil hic contribuisse; Ita sane pro nihilo supputaretur clientela Regni atque armata e Russorum manibus ereptio, nihili sic æstimaretur defensio provinciæ, quæ cæteroquin ad incitas redacta hostium præda erat, nihilo etiam æquipararentur solutiones æris alieni super oppignoratis tot arcibus & locis, partim cum ipso Poloniæ Rege, partim cum Prussiæ Duce, partim cum Archiepiscopo Rigensi, nec non Nobilitatis & civitatum Ordinibus, contracti, a Rege Poloniæ maximam partem compensandi, (*s*) quæ sufficienter docent, Rempublicam utique ex peculio suo aliquid ad feudi Curlandici integritatem contribuisse. Verum etiam his vel maxime extra censum missis, erroneum tamen est, oblati feudi naturam hanc involvere qualitatem, ut liberam de eo aperto dispositionem Ordinibus indulgeat. Omnium enim tam datorum, quam oblatorum, veluti hoc respectu perinde propriorum, (*t*) feudorum natura est, ut iis, quibus ob insignia & eminentia merita collata erant, deficientibus, ad liberam supremorum dominorum dispositionem redire, & immediatum, directum ac utile dominia consolidari debeant. (*u*) Ita redeunte ad Regnum Poloniæ sub VLADISLAO IV. districtu Leoburgensi & Bytoviensi, post decessum stirpis Pomeraniæ Ducum, una cum eo revertebatur ad Regem libera & absoluta de eodem dispositio. (*x*) Examinentur

In casu apertura utile dominium directo unitur, quam consolidationē omnia feudorum oblatorum Diplomata reservant;

(s) *Oppignorationes* istæ atque earum *compensationes* enumerantur in ipsis *subjectionis pactis*, Art. VII. itemque §. *Neve etiam a Gedanensibus* &c.

(t) Vid. *Collectio Nova Consilior. Tubing.* continens *Schvvederi Consilia*, Vol. VI. Conf. 95. f. 649. 654. *Joh. Nic. Hertii Responsa & Consil.* Resp. 566. n. 5. p. 916. *G. A. Struvii Synt. I. F.* cap. VII. aphor. X. n. 10.

(u) Vid. quæ pluribus desuper discussa in *praced. Thesi* III p. 39.

(x) *Sigismundi I. Investitura pro Georgio Stettinensi*, A. 1526. apud *Prilusium*, lib. V. cap. IV. f. 787. *Constit.* A. 1637. tit. *Reincorporatio*, & A. 1641. p. 15.

nentur omnia feudorum oblatorum exempla supra-commemorata & alia, utrum in casu aperturæ unquam suffragiorum libertas Statibus indulta & concessa, anne potius, deficiente stemmate investito & substituto, jus devolutionis, & ex eo fluens arbitrium collationis feudi aperti in novum vasallum, a Domino directo obtinuerit. Si ergo ex natura quoque oblati feudi consolidatio utilis dominii cum supremo locum habet, sequitur, quod ille tantum, ad quem apertum feudum redit, de eodem disponere, & novo feudatario concedere queat. Cum autem, nemine forsitan sanioris consilii dissentiente, utile aperti Curlandici Ducatus dominium non ad Ordines vel Proceres Curlandiæ, sed ad supremum Regis Regnique Poloniæ dominium, redierit, hinc prona conclusione non ipsis sane, sed soli Regiæ Majestati Regnoque Poloniæ, tanquam directo Domino, plena de eodem dispositio, atque in novum feudatarium collatio, jure meritoque competere censetur.

Hinc ille tantum, ad quem Dominium utile redit,

haud ergo Curlandiæ Nobilitas, de feudo aperto disponere potest

Objectio IX.

Curlandiæ incorporationem cum Poloniæ Regno figmentum aut chimæram videri, quia contradictoria forent, Statum quendam alteri Regno incorporatum, suis tamen Ducibus immediate gubernatum esse, (y)

Jugulum petit integro Curlandiæ cum Regno Poloniæ vinculo. Bellerophontis autem oculis eum oportet uti, qui hanc incorporationem Ducatus Curlandici tanquam Chimæram intuetur, cujus realem subsistentiam sola aliorum exemplorum inductione persuaderi sibi patientur dissentientes Apologi. Quotne Ducatus Imperio Romano-Germanico incorporati sunt & erant,

Negata Curlandiæ cum Poloniæ Regno incorporatio,

instantia aliorum exemplorum,

(y) Vid. *Solida Demonstratio* &c. *Nobilis Curoni*, & *Zschackvitzii Pratens. Illustr.* Tomo II. Sect. IV. p. 106.

erant, qui tamen hæreditariis ſuis dominis & propriis Ducibus reguntur. Revocent ſibi in memoriam tot Ducatuum Sileſiæ exempla, qui omnes, antequam Seculo XIV. ſeceſſionem a Regno Poloniæ fecerunt, (z) corpori hujus Reipublicæ, perinde ac poſtea Regno Bohemiæ, uniti, nihilominus tamen, uſque ad deletam Piaſticam ſtirpem, propriis Ducibus adminiſtrati fuerunt. (a) Quis ignorat recentius exemplum Ducatus Pruſſici, qui a prima inſtitutione A. 1525. inclyto Poloniæ Regno, ultra centum & triginta annos feudali vinculo, uſque ad hujus ſolutionem, A. 1657. ligatus fuit, hoc vero non obſtante propriis ſuis Ducibus feudatariis paruit, (b) ut Mazoviæ aliorumque Ducatuum exempla ſilentio prætereram, manifeſto indicio, incorporatum eſſe & proprios habere Duces haudquaquam inſtar contradictoriorum unum alterum tollere.

præſertim Sileſiæ quondam

& Pruſſiæ Ducatuum, Poloniæ Regno unitorum, refellitur

Objectio X.

Duces Curlandiæ abſolutos fuiſſe dominos, quia omnes actus ſuperioritatis territorialis atque Regalia, quæ liber ac ab alio non dependens dominus edere ſolet, exercuerunt, adeoque aperto nunc Ducatu Ordinibus integrum eſſe, tanquam in libero Ducatu, novum ſibi Ducem eligere, (c)

Sublato infirmo, quo nititur fundamento, ſponte corruit. Quod enim actus ſuperioritatis territorialis cum utili dominio ſubſiſtant, & a ſupremo Domino in feudum quoque concedan-

Actus ſuperioritatis territorialis etiam cum homagiali obſequio ſubſiſtunt,

(z) Vid. *Joh. Dlugoſſi Hiſtor. Pol.* lib. IX. col. 991. edit. Lipſ. *Joa. Curæi Annal. Sileſ.* p. 85. ſq. edit. Witteb. 1571. *Hartknoch, de Rep. Pol.* lib. I. c. III. p. 114. 121. *Balbini Epitom. Rer. Bohem.* lib. III. c. 16. p. 301. c. 18. p. 341.

(a) *Goldaſt.* de *Regno Bohem.* lib. II. cap. XII. *Conſtit. Imp.* T. I. p. 345. add. *Aen. Sylvii Hiſt. Bohem.* cap. 32. *Joh. Dubravii Hiſt. Bohem.* lib. XXI. inter *Freheri Script. Rer. Bohem.* p. 158. 175.

(b) Vid. ſupra §. VI. not. (n) p. 17. & theſi III. not. (o) p. 40.

(c) Objectio eſt *Zſchackvitzii,* P. II. l. c.

cedantur, nec vinculum feudale solvant, in superioribus jam demonstratum fuit. (*d*) Inspiciantur omnes Literæ feudales atque investiturarum formulæ, numne in majoribus feudis simul Regalia, atque superioritatis territorialis actus, feudatario simul indulgeantur, absque supremi derogatione dominii, sed hunc in finem superaddita plerumque formula, *salvis directi dominii juribus & eminentiis*, (*e*) quales etiam in instrumentis Ducatus Curlandici obviæ sunt. (*f*) In S. Romano Imperio innumeri Principatus talibus privilegiis & juribus superioritatis fruuntur, qui tamen a recognitione supremi dominii neutiquam exemti, aut vinculo feudali soluti sunt. Neminem præterit, quænam Regalia & prærogativas superioritatis territorialis Wurtembergiæ Duces, etiam tum temporis, exercuerint, cum a transactione Cadanensi, inter FERDINANDUM I. Romanorum Regem, & VLRICUM, Ducem, A. 1534. inita, terras suas, tanquam subfeudum, ab Austriaco domo recognoscerent, donec a RUDOLPHO II. per conventionem Pragensem A. 1599. hac subinfeudatione absolverentur. (*g*) Ad præscriptum Ducatus Curlandici

investituræ majorum feudorum Regalia indulgent,

(d) Vid. supra §. IX. not. (y) *Iac. Alvarotti*, JCti & Patritii Paduani, *Tract. de feudis*, f. 103. edit. Francof. 1570. f. ita loquentis: *Feudum secundum naturam & regulas & consuetudines semper præsumendum, & privilegium a Principe concessum non debet intelligi derogare solennitati juris & subvertere solitum ordinem consuetudinis, nisi quantum in ipso privilegio cautum.*

(e) Omnia *Investiturarum Diplomata*, supra, *Thesi I.* not. (z) p. 26. allata, post enumerationem privilegiorum & actuum superioritatis territorialis indultorum *ejusmodi formulas* subnectunt.

(f) In *Statutis & Juribus Curlandicis* in ipsa Commissione Mitaviensi A. 1617. cum nova *Regiminis formula*, d. 18. Martii instructis, epilogus hac utitur clausula; *salvis tamen legibus Regni publicis, salvaque item augendi, minuendi, corrigendique potestate, cum autoritate tamen & confirmatione S. R. Majestatis*, inter *Docum. annexa*, n. XII.

(g) *Joh. Strauchii Dissert. Exoteric.* X. *de eject. & restitut. Ducis Wurtenb.* th. 21. p. 288. *Transactionis formula* apud *Goldastum*, T. II. *Constitut. Imper.* p. 177. & *Schilterum de pace Relig.* cap. II. p. 73. De *sublatione hujus infeudationis* per Rudolphum II. vid. *Imhofii Notit. Procer. Imp.* lib. IV.

dici exemplar, Ducatum Prussicum, respiciendo, deprehendimus, SIGISMUNDUM, Regem, Marchioni ALBERTO, primo Duci, omnes Ducali titulo & dignitati annexas prærogativas, in Diplomate expressas, nundinarum solennium, monetæ cudendæ, &c. concessisse, salvis tamen suis Regnique Poloniæ supremi Dominii juribus, vel *in quantum indulta privilegia initæ concordiæ & contractui non adversarentur*, (*h*) evidentissimo argumento, exercitium illud Regalium neutiquam liberi & exemti dominii signum esse, nec in hoc exemplo vinculum feudale diremisse, ceteroquin enim superfluum fuisset, idem post secularem demum durationem dissolvere. Sub simili feudi obsequio Duces Curlandiæ superioritatis territorialis actus & Regalia exercebant, interlucente in potioribus supremo semper Poloniæ Regni dominio. (*i*) Ipsum *monetæ cudendæ* privilegium ita restrictum erat, ut nullam aliam cudere Duci liceret, nisi *quæ ab aversa parte Regis effigiem, vel insignia Regni, & Magni Lithuaniæ Ducatus, exprimeret*; (*k*) qualis conditio in liberum & a nulla supremi dominii jurisdictione pendentem Statum alibi non videtur cadere. *Magnum* quoque *sigillum*, quo Curoniæ Duces Diplomata aliasque tabulas publicas obsignare solebant, præter gentilitia KETTLERI insignia, in centro scuti, ejusque aureo ad sinistram dimidio, intersertas invicem nigras, coronaque ornatas, literas, S. A. tanquam initiales SIGIS-

ita Albertus, primus Prussiæ Dux, omnia Regalia in feudum accepit,

sub conditione tamen salvi supremi dominii:

Curlandiæ Ducis privilegia & Regalia eadem restrictione limitata erant,

exemplo privilegii cudendæ monetæ,

Magni Ducalis sigilli,

cap. VI. §. II. p. 169.' *Transactionis formulam*, d. 24. Jun. 1599. Pragæ signatam, juxta exemplar Chartophylacii Vindobon. exhibet *Du Mont*, Tom. V. *Corp. Dipl.* P. I. n. 268. f. 593.

(h) *Privilegii verba* sunt, *Marchioni Alberto*, Marienburgi, A. 1526. concessi, apud *Prilus.* lib. V. cap. III. f. 772. similia in *formula Investituræ*, ib. f. 770.

(i) *Verba Incorporationis Curlandicæ A.* 1569. ita fluunt: *Quibus Nos vicissim - - conservationem omnium privilegiorum, libertatum, immunitatum, a Nobis eisdem concessorum, libertatibus Nostri tamen Regni non adversantium, pollicemur* &c.

(k) Vid. *Pacta Subjectionis*, §. Monetæ, inter *Docum.* n. I.

GISMUNDI AUGUSTI, Regis, exhibebant, in perpetuam primi Ducatus conditoris memoriam, atque irrevocabile documentum, ſubſecuturos feudatarios Duces eminentiam ſuam a Poloniæ Regibus, tanquam directis Dominis, in feudum eſſe recognituros. Simile quid ex reſervato *Appellationis jure* liceat concludere: In ipſis namque Subjectionis pactis (*l*) atque Nobilitatis Curlandicæ privilegiis, (*m*) nec non introducta A. 1617. Regiminis formula, (*n*) in rebus arduis, altiorisque indaginis, *provocatio a ſententia Ducali ad ſummum Regium tribunal*, vel *conſtitutos Rigæ Conſiliarios Regni*, locum obtinuit. Quemadmodum igitur illa ſententia dici nequit ſuprema, a qua ad ſuperiorem adhuc datur recurſus, ita ſuapte conſequitur natura, eundem quoque, cui ſuprema deciſio non competit, ſuperiorem æque dominum, ac eminentius dominium, debere agnoſcere. Probe id applicuerunt inclyti Poloniæ Ordines, in Reſponſo, Oratoribus Alberti, Pruſſiæ Ducis, ex Conventu Petricovienſi, nomine Regis SIGISMUNDI, reddito, *proprium eſſe jus uniuscujuſque ſuperioris domini, ut ad ipſum a quovis ſubjecto & vaſallo appelletur, quippe quod non aliunde magis dominium & ſubjectio agnoſcitur*, ita quidem, *ut appellationibus, quæ jure & conſequentia propria ad ſuperioritatem pertinent, ſublatis, nullum extaret veræ ſuperioritatis veſtigium.* (*o*) Præter dictas ſuperioritatis reſtrictiones Curlandiæ Ducibus non erat integrum, absque Poloniæ Regum indultu, ex terris ſuis quidquam alienare vel oppignorare, (*p*) ita, ut conceſſæ etiam ipſis facultati expreſſa ſuper-

Appellationis juris,

Libertatis alienandi & oppignorandi bona Ducatus,

(l) Vid. Artic. V. *Pactorum ſubjectionis.*
(m) *Privilegia Nobilitatis*, a Rege *Sigismundo Auguſto*, Vilnæ 1561. indulta, Art. VI. & XVIII.
(n) *Formula Regiminis*, A. 1617. §. Nobilium Cauſæ &c. inter *Docum.* n X.
(o) *Reſponſum Conventus Petricovienſis* d. 10. Jan. A. 1526. *ratione provocationum ad Regium tribunal*, Oratoribus Pruſſ. datum, apud *Priluſium*, l. c. p. 785.
(p) *Vi pactorum ſubjectionis*, §. ſi quid porro &c. qui Articulus apprime coincidit cum conditionibus *Inveſtituræ Du-*

ſuperadderetur conditio, *ne per ejusmodi oppignorationem ſeparationi eorum bonorum a corpore Reipublicæ Polonicæ vel minima ſuppeditaretur occaſio*, (*q*) vel juxta SIGISMUNDI III. expreſſionem, *ne Regalibus Noſtris & ſupremi dominii juribus, nec inveſtituræ conditionibus per hanc noſtram confirmationem vel minimum quidem detrahatur & derogetur.* (*r*) Vt taceam, Curlandiæ Duces, *in cauſis feudalibus ſupremum Poloniæ Regis forum*, exemplo plurium VLADISLAI IV. in cauſa Piltinenſi edictorum, recognoſcere, *in condendis* etiam *Statutis*, Regni Poloniæ præſcriptum attendere, (*s*) nec non *ſalvos Regios conductus*, prout in formula Regiminis cautum, *pro jure Regiæ Majeſtatis in hunc Ducatum ſupremo, directoque dominio, ſacroſanctos ſemper obſervare & ſuſpicere, debuiſſe.* (*t*) Ex quibus omnibus, invertendo diſſentientium concluſionem, inferre licuerit in contrarium, Curoniæ Duces nunquam fuiſſe abſolutos dominos, ſed ſuperius dominium agnoviſſe, eo quod *tales actus admittere debuerint, ad quos abſolutus, & a nullius ſuperioris arbitrio pendens, dominus non tenetur.* Sublato igitur hujus objectionis fundamento, ipſum quoque ejus ædificium corruit, atque contrarium eluceſcit, quod Curlandiæ Proceribus, tanquam in libero Statu, novum ſibi dominum conſtituere, non ſit integrum. Quodſi enim tale inſigne privilegium unquam ſubſtitiſſet, vel invaleſcere debuiſſet, aliqua ſane ipſius, vel in *ſubjectionis pacto*, vel *privilegiorum Articulis*, injicienda fuiſſet mentio.

aliorumque actuum,

quales ſane in abſolutum dominum non cadunt.

Si ergo jus electionis ſubſtitiſſet, vel introduci debuiſſet,

cat. Pruſſici, & *transactionis Cracovienſis*, A. 1525. apud *Priluſium*, p. 765. 770.

(q) In renovata per Regem *Stephanum*, d. IV. Aug. 1579. primi *Curlandiæ Ducis inveſtitura*, apud *Zſchackvitzium*, T. II. *Pretenſ. Illuſtr* p. 180.

(r) Tenore *Literarum feudalium*, Varſoviæ d. 18 April. 1589. *pro geminis Gotthardi filiis Friderico & Wilhelmo*, itemque ſignati ibidem *de oppignorationibus indulti*, apud *Zſchackvitzium*, l. c. p. 192 205.

(s) Vid. *Statuta Curland.* de A. 1617. inter *allegata Docum.* n XII. & *Statuta Diſtrictus Piltinenſis*, apud *Chriſt. Nettelbladt*, T. II. *Anecdot. Curl.* p. 35.

(t) Vid. *Formula Regiminis Curland.* A. 1617 §. Si lis inter Principem &c.

necessario in pactorum & privilegiorum instrumentis, ejusdem injicienda fuisset mentio,

mentio. Atqui in omnibus XXVII. *Privilegiorum Articulis*, ab ipsa Curlandiæ Nobilitate Regi oblatis & ab eodem Vilnæ A. 1561. ratihabitis, ne verbulum quidem de electionis jure, nec de Magistri, multominus Curlandiæ Ducis, electione, licet deprehendere, ubi tamen locus erat, insigniora Nobilitatis privilegia & jura in lucem ponere ac stabilire, aut a contradictionibus munire, in eum namque finem pactorum & privilegiorum instrumenta condebantur, ut mirum sit, tanti momenti circumstantiam, & præcipuum omnium privilegiorum Articulum alto ubique silentio prætermissum, nec potius ab ipsis Proceribus, si jus quæsitum habuissent, studiose solicitatum, reservatum & stabilitum fuisse, vel ipsos etiam, cum vigilantibus jura scripta sint, in id incubuisse providos, ut post defectum Kettlerianæ stirpis, fasces Ducalis Regiminis ad sese devolvendos stipulaverint, suumque Ordinem hujus prærogativæ participem reddiderint, adeoque ex hujus gremio Ducem eligere potuerint. Caverunt sibi, Art. V. pactorum, *electionem Senatorum & Judicum, communibus Nobilitatis suffragiis nominandorum*, prospexerunt etiam, Articulo alio, *electioni Burggravii Rigensis*, ex Senatorio civitatis Ordine, per Regem confirmandæ, ut mirum sit, nihil quidquam de electione Ducis, tanquam majoris momenti articulo, cautum & stipulatum fuisse. Quapropter ab eorundem silentio & prætermissione similis jactati privilegii ad nonexistentiam ejus recte infertur, atque epilogi loco tandem concluditur: *Jura Curlandiæ & Semgalliæ circa electionem novi Principis nulla esse, sed unice penes Regiam Majestatem, Regnumque Poloniæ, tanquam supremum, directumque Dominum, stare.*

ut tale privilegium a contestationibus præservaretur

cum electio Senatorum & Burggravii stipulata fuerit

PRO

PRO SOLIDIORI ARGVMENTO
POTIORA
DEDVCTIONIS DOCVMENTA
HIC SVBJVNGVNTVR

I.

Pacta Subjectionis inter Divum olim Regem, Sigismundum Augustum, & Gotthardum Kettlerum, Magistrum Teutonici Ordinis in Livonia,

Vilnæ d. 28. Novembr. A. 1561.

inita.

Sigismundus Augustus, Dei gratia, Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithvaniæ, &c. Significamus præsentibus literis Nostris, universis & singulis, quorum interest. Cum terra Livoniæ Nobis, ex parte Magni Ducatus Nostri Lithvaniæ, & vicinitate, & multis, partim antiquis, partim novis, pactis & fœderibus devincta & consociata, jam ab aliquot annis immanissimi hostis Moschi crudelibus armis, incendiis & vastationibus propemodum funditus eversa ac desolata esset, ita ut extrema quæque illi imminerent, nec quidquam certius esset, quam quod ad primam quamque incursionem illius præpotentis hostis, illud quod reliquum, tam in Diœcesi Rigensi, quam in terris Magistri Ordinis Teutonici fuerat, similibus cladibus exscinderetur, & in durissimam servitutem hostilem veniret,

 quem-

qvemadmodum jam magna pars, propter multarum civitatum, arcium, propugnaculorum, amiſſionem venerat, & ob maximam in omnes partes depopulationem, vaſtitatemque ferro atque igni in ea allatam, & propter quotidianas incurſiones, magnumque hoſtis ad ejus reliquias occupandas apparatum, ad eam anguſtiam & difficultatem Ordines illius redacti eſſent, ut nequaquam opibus, viribusque proprijs Statum ſuum defendere, atque ſe a ſervitute & crudelitate hoſtili tueri ac vindicare poſſent. Ideo Illuſtriſſimus & Magnificus Dominus Gothardus, *Equeſtris Ordinis* Teutonici in Livonia Magiſter, *Nobilitas*, Civitates, Statusque & Ordines illius univerſi, dum & omnia domeſtica conſilia ſua convulſa, & ſe ab aliorum præſidiis, præſertim Sacræ Cæſareæ Majeſtatis, & Statuum Romani Imperii, deſtitutos animadverterent, a vicino etiam Rege Sveciæ terra marique peterentur; *tam ſuo, quam Civitatum, aliorumque Ordinum Livoniæ, ad dictum Magiſtrum ſpectantium, nomine, crebris internunciis & literis præſentem calamitatem & graviſſimum periculum Nobis expoſuiſſent, multisque precibus opem & auxilium Noſtrum imploraſſent;*

Nos & commiſeratione afflictiſſimæ Provinciæ, & amore totius Reipubl. adducti, & ne barbarus hoſtis latius pro ſua libidine in populo graſſaretur, dedimus negotium Illuſtriſſimo Principi, Domino Nicolao Radzivil, Duci in Olyka & Nieſwiez, Palatino Vilnenſi, &c. ut iterum in Livoniam properaret, & primo quoque Rigam peteret, ibique tam *cum ipſo Magiſtro*, quam *cum illius Ordinibus ac Civitatibus, de memoratæ Provinciæ defenſionis ratione tractaret.* Cumque in illis tractatibus ab omnibus perſpiceretur, niſi communibus viribus tam Polonorum, quam Lithvanorum, defenſio ſuſcipiatur, non poſſe potentiam hoſtilem reprimi, Polonorum vero auxilia, niſi deditio

quoque

quoque ad Regnum Poloniæ, non solum Magnum Ducatum Lithvaniæ, fiat, nequaquam adduci posse: Tandem *ad hunc extremum casum, ita ut sit in rebus desperatis, & præsenti periculo expositis, deventum est, ut de facienda deditione statuerent*, eoque nomine communis profectio tam ab ipso Principe prænominato, quam ab Ordinum ac Civitatum nunciis, ad Nos susciperetur.

Sed quia prædicto Principe, aliorumque Ordinum ac Civitatum nunciis ad Nos Vilnam venientibus, & subjectionem certis conditionibus Nobis, Regno Poloniæ, Magno Ducatui Lithvaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masoviæ, Samogitiæque, cæterisque ditionibus Nostris profitentibus, Senatus Poloniæ copiam tunc non habebamus, sine quo subjectio ipsa, ex parte Regni rite atque commode peragi non possit, *necessario hujus rei tractationem in Nostram in Poloniam profectionem, ex parte Regni rejicere nos oportuit.* Ne vero interea, dum hæc ad Senatores & Ordines Regni Nostri perferuntur, atque ibi ab eisdem Ordinibus approbantur, multis modis afflicta Livonia, vel in spe dubia, vel in ancipiti statu rerum suarum, vel etiam ope destituta, & extremæ depopulationi hostili exposita relinquatur, indeque mutata voluntate, vel servitutem tyrannicam, vel alias quantumvis iniquas conditiones subire cogatur, sed ut & illi de indubitata ope & præsidio Nostro, & Nos vicissim de constanti fide & voluntate eorum certi simus:

Ita tandem *post varios multosque tractatus hoc tempore inter Nos & prædictum Principem*, aliorumque Ordinum ac Civitatum nuncios, conventum est, *ut ipsa Livonia ex nunc Nobis*, ut Regi Poloniæ, Magno Duci Lithvaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masoviæ, Samogitiæ, Domino ac Hæredi, *subjecta sit & maneat, dum certi aliquid de approbatione Procerum Regni retulerimus.*

Quando-

Quandoquidem vero hoc negotium *ad Regni conventum proxime in Masovia futurum, & ad Status & Ordines Regni rejecimus*, in eo quidem conventu sancte promisimus, & autoritate harum literarum promittimus, ut a Senatoribus cæterisque Ordinibus Regni Nostri in Polonia, professa subjectio tam Principis prædicti, quam subjectorum suorum, *in commune seu conjunctum cum Regno, Ducatu Lithvaniæ, & cæteris Dominiis recipiatur* & approbetur, juxta tractatus hic Nobiscum initos, utque interea Livonia a Nobis totis viribus Regni, Magni Ducatus Lith. cum omnibus adjunctis ditionibus nostris, *tam adversus Moschos, quam adversus omnes alios hostile aliquid illi molientes defendatur & propugnetur, & civitates arcesque amissæ armis repetantur.* Si vero præter spem Nostram, Status Regni Nostri Polon. in subjectionem istam consentire, & ita Livoniam, conjunctis viribus, prout conditiones prænominatæ ferant, defendere nollent; Livonia vero a solis Proceribus Lithvaniæ ad modum præscriptum defensa fuerit, ex tunc, prout ex nunc, Magno huic Lithvaniæ Ducatui incorporata, illique unita esse censeatur.

Cum autem in conditionibus subjectionis illud inter cætera contineatur, quod tam prædictus Princeps, quam subditi & civitates sibi a Nobis caveri postularint, *ne deditio & subjectio illa, quam Nobis*, ut Regi Poloniæ, Magno Ducatui Lithvaniæ, aliarumque ditionum Nostrarum, *extremis casibus & periculis adducti obtulerunt, apud Cæsaream Majestatem aliosque Imperij Ordines Germaniæ, illis damno & fraudi sit*; Bona fide spondemus, & recipimus, Nos interea, donec cum Senatoribus quoque Regni de Livonia in fidem & subjectionem recipienda acturi sumus, omnem curam & diligentiam adhibituros, ut vel per internuncios, vel per literas Nostras, Cæsareæ Majestatis aliorumque Imperij Ordinum, inprimis vero *Magistri Ordinis*

dinis Teutonici per Germaniam animi ac voluntates ad probandam hujus facti necessitatem, inducantur & flectantur. Quodsi id plane confici non poterit, huc tamen totis viribus incumbemus, ne vel Princeps, vel subditi, ullum detrimentum, tam in honore & fama, quam in bonis & fortunis, ex hac *necessaria* deditione patiantur, nec ullam Imperij proscriptionem, aliave gravamina, hoc nomine incurrant, vel si incurrerint, Nos tamen providebimus, ne hoc cuiquam publicæ vel privatim fraudi sit.

Dedimus præterea fidem, sicut & præsentibus literis sancte damus, recipimus atque promittimus, Nos tam Principi ipsi, quam Civitatibus alijs, vel subditis suis cujusque Ordinis vel Status fuerint, liberum usum religionis, cultusque Divini, & receptorum rituum, secundum Augustanam Confessionem, in suis Ecclesijs, totiusque rei Ecclesiasticæ integram administrationem, sicut eam hactenus habuerunt, libere permisimus, nec in ea ullam mutationem facturos, neque ut ab aliis fiat, permissuros.

Omnia etiam eorum jura, *beneficia*, *privilegia*, sæcularia & ecclesiastica, præsertim Nobilium, tam simultaneæ investituræ jus, quam & libertatem gratiæ in successione hæreditaria ad utrumque sexum, superioritates, præeminentias, dignitates, possessiones, libertates, transactiones & plebiscita, immunitatesve confirmaturos esse, denique & jurisdictionem totalem, juxta leges & consvetudines moresque antiquos.

Cum *provocatione* tamen eorum, qui tam ex Nobilibus, quam civitatibus, immediate imperio Nostro, vigore præsentis cum ejus Illustritate transactionis adjiciuntur, ad *Vicegerentem Nostrum* per Livoniam, vel Senatum, Senatores, Judices Nostros, per Nos in Civitate Rigensi constituendos, eligendos communibus *Equestris Ordinis*, hoc est, *tam ipsorum membrorum Teutonici*

nici Ordinis, *quam Nobilitatis Livoniæ*, ſuffragijs, idque non ex aliis, quam indigenis & bene poſſeſſionatis illius Provinciæ incolis, nempe ex Nobilibus, Vaſallis & Civitatum Senatoribus, *membrorum* etiam *Ordinis*, *qui*, *mutato ſtatu*, *totos ſe huic Provinciæ dederint:* ita tamen, ut eiſdem ſubditis Noſtris Eqveſtris & Civilis conditionis *indifferens ſit appellatio*, *prout cuique appellanti provocare viſum fuerit*, nempe immediate ad Nos, vel mediate ad Vices Gerentem, vel ad Senatum Noſtrum præfatum. Illi vero, qui dicti Principis jurisdictioni ſubjecti & ratione dominiorum ejus ſubditi erunt & manebunt, ad ſuum tantum Principem provocabunt. *In cauſis tamen gravibus & maximi momenti*, *licebit Equeſtri Ordini a Principe ſuo ad Conventum provincialem terrarum Livoniæ, juxta veterem conſvetudinem, provocare.*

Præterea recepimus, prout præſentibus recipimus, ſubditos provinciæ illius penes Magiſtratum ſuum Germanicum relicturos eſſe &c. Proinde officia, præfecturas, præſidiatus, judicatus, burggraviatus, & id genus, non alijs quam nationis ac lingvæ Germanicæ hominibus, ac adeo indigenis, collaturos eſſe, quemadmodum *in terris Pruſſiæ* conferre ſoliti ſumus.

Et quidquid publice vel privatim univerſis & ſingulis de jure & æquitate competere videtur vel videbitur, Noſtris literis & diplomatibus confirmaturos, nec ullam in prædictis diminutionem, ſed potius pro Regia Noſtra gratia & beneficentia augmentum & acceſſionem facturos, quemadmodum ex nunc re ipſa, vigore præſentium diplomatum, confirmamus, approbamus, augemus, ratificamus, atteſtamur & comprobamus, confirmareque & comprobare quibusvis hominibus privatim & publice, nunc & in poſterum, quocunque tempore benigne ſuper ea re compellati fuerimus, debebimus, ac ad eundem modum *in reliquis civitatibus Livoniæ*, *Imperio Noſtro ſubjectis*,

ctis, Officiales Nostros constituemus; durante tamen tumultu bellico, reliquas arces hosti vicinas & periculo expositas indifferenter per cujusvis nationis & lingvæ Officiales administrabimus, quorum nobis virtus, fides, integritasque fuerit spectata; ita tamen, ut nihil attentent, faciant, jubeant atque mandent, quam quæ pro defensione civitatum ac arcium facere videbuntur, nisi forte in Nostrum & Reipubl. damnum vergere quid isti animadverterint, tum ad Nos ea de re referant, & pro virili satagant, ne quid detrimenti ad Nos & Rempubl. redundet. Jus autem, justitiam & potestatem gladii exerceant tam in Cives, quam Nobiles, *Magistratus civitatum* atque arcium Præfecti, sepositis armis, & optata pace recuperata, non aliis, quam indigenis natione & lingua Germanis, præfecturas in tota Provincia concedemus.

Porro Illustri Domino *Magistro Livoniæ, cum ad Equestris Ordinis consilium & Nostram approbationem statum mutaverit,* ut per conjunctionem affinitatis, & Principum amicitia suffultus, contra hujus Provinciæ hostes eo solidior firmiorque compareat, *Ducalem titulum, ad instar Illustris Domini Ducis in Prussia, cum omni dignitate, insignibus, & privilegiis Ducalibus tribuemus, ita ut Vasallus noster, feudatariusque Princeps sit, quemadmodum ex nunc Illustritatem ejus pro Vasallo Nostro Principe, suscepimus, habebimus, atque habemus.*

Ac quo vicissim Illustritas ejus certa sit, quamprimum voluntatem Regni Nostri Senatorum exploraverimus, aut illi cum Senatu Nostri Magni Ducatus Lithvaniæ super ea re convenerint, *quotam Livoniæ partem a Nobis & Successoribus Nostris in feudum habere, tenereque debeat Illustritas sua* cum posteris suis ex linea masculina descendentibus, has arces subsequentes, districtus, atque præsidiatus cum jure, suæ Illustritati concessimus

 mus

mus in feudum, atque concedimus, (non obstante, *licet ipsa infeudatio, titulique insignium & honorum solennis attributio nunc concedi nequeat, quæ omnia ad nostrum ex Polonia reditum differenda esse duximus*) possessionem illorum omnium Illustritati suæ assignavimus, contulimus, atque conferimus, primum totum illum tractum Curlandiæ & Semigalliæ, incipiendo a salso mari sursum sequendo fluvium Hilgæ, ascendendo ad antiquos limites, per Radzivvilum inceptos & dispositos, inter Samogitiam, Lithvaniam, & Russiam ab una, & Livoniam ab altera, partibus, versus Districtum Polocensem ad Dunam fluvium, descendente vero Duna usque in mare salsum; adeo, ut quidquid in istis terminis cis Dunam versus Lithvaniam continetur, & ad Ordinem Livoniæ spectabat, nunc & in perpetuum apud Illustritatem suam & ejus hæredes masculos permaneat, Curias videlicet, bona & Nobilitatem, quæ ad arcem Duneburgensem, ex hac parte fluminis Dunæ versus Lithvaniam, spectarunt; Arcem Selburgam cum toto districtu; Curias item, Nobilitatem, & omne id, quod videlicet ex hac parte ad arcem Ascherat spectavit; arcem Bausko, Neuguth, cum iis, quæ ad arcem Kircholm pertinebant; arces Mitthaw, Tuckum, Neuburgk, Doblen, Kandow, Alswangen, Schrunden, Frawenburg, Zabel, *tum & illas arces, quæ Nobis oppignoratæ sunt*, Goldingen, Hasenpoth, Durben, Windaw, *in summa octuaginta millium. Arcem* vero *Grobin in quinquaginta millibus Illustrissimo Principi Domino Alberto*, Marchioni Brandeburgensi, in Prussia Duci, *itidem oppignoratam, & illas quidem summas Illustritati ejus remittimus, Arcem* vero *Grobin ære Nostro apud ipsum Illustrissimum Dominum in Prussia Ducem eliberabimus, ac dabimus operam, ut ab ipsa oppignoratione primo quoque tempore eliberetur*, atque in possessione Illustritati suæ tradatur. Ad eundem modum & *arcem Bausko ex possessione & usufructu Reverendissi-*

dissimi & Illustrissimi Principis, Domini Archiepiscopi Rigensis, eliberabimus, & ut ejus possessio ad Festum Paschæ Illustritati ejus tradatur, curaturi sumus. Ex altera vero parte Dunæ solam arcem Dunemundam Illustritati ejus ad tempora vitæ concedimus.

Pro Nobis vero, & Serenissimis Successoribus Nostris, *ratione susceptæ defensionis, & aditorum, ac etiam nunc adeundorum, multorum periculorum & certaminum, quæ Nobis pro Livonia propemodum jam desperatis rebus sumpsimus*, totum tractum & omnem reliquam Provinciam ultra Dunam, vigore præsentis contractus cum Illustritate ejus initi, reservamus.

Primum & ante omnia, arcem & civitatem Rigensem, cum omni, quod in ea antiquitus obtinuit, jure, dominio & proprietate, meroque & mixto Imperio, apud Imperatores Romanos obtento, de quo Nobis Illustritas ejus condescendit, illudque Nobis resignavit, prout præsentibus resignat, cedit & condescendit, & *ab homagio, quo Civitas illa Rigensis Illustritati suæ tenebatur, absolvit*, absolvereque & renuntiare coram Legato Nostro in Civitatem Rigensem per Nos ablegando publice, tum & patentibus literis suis, etiamsi Civitas illa ei rei adversari velit, aut quo modo reclamet, *& ab ipso homagio liberos facere: nec non omnia diplomata, ab Imperatoribus Romanis super ea re obtenta Nobis tradere tenebitur*, eamque sicut & reliqua omnia, quæ sequuntur, potestati, meroque & mixto Dominio Nostro, permittere, sicut jam ex nunc harum literarum vigore permisit, ac permittit, tanquam scilicet eam civitatem, cujus salute & conservatione salus & conservatio reliquæ Provinciæ nititur, ex amissione vero extremum illi Provinciæ excidium, vicinis autem dominiis Nostris præsens, certissimum & indubitatum, periculum impendeat. In ea tamen Civitate Rigensi & arce, non peregrinum aliquem alienigenam & adventitium *ad gerendum*

magiſtratum & alia officia præficiemus, ſed *ex indigenis Germanicæ Livonicæque lingvæ & nationis.* Et alterum quidem Officialem arcis, qui rei militari & præſidiis Noſtris, alterum vero, qui rebus urbanis *Burggravius* præſit, ex Senatorio civitatis illius Ordine, *per illos deligendo, per Nos autem confirmando*, ad exemplum Civitatis Gedanenſis, conſtituemus, *qui tamen Nobis*, Regi Poloniæ, Magno Ducatui Lithvaniæ, *ſpeciali jurejurando obſtricti ſint.*

Sequentes vero civitates & arces, præſidiatus, præfecturæ, tractus, pro Nobis ceſſerunt, tam videlicet illæ, quæ adhuc in poteſtate Ordinis permanſerunt, ut ſunt arces Kircholmia, Aſcherad, Duneburg, ad ripas Dunæ ſitæ, Roſiten, Lutzen, Trikaten, Ermis, Helmet, Karkus, Weiſeſten, cum tota Jervia, arx & Civitas nova Parnovia, Sahra, Rugia, Burtneck, & arx & civitas Wolmaria, Wendena, Wolfard, Arries, Segewalt, Schuien, Jurgeburg, Nithow, Lemborch, Rodderppeus, Neumole. Dein & illæ, quæ jam in poteſtatem hoſtis pervenerunt, & armis Noſtris recuperandæ ſunt, videlicet Ducatus Eſthonia, Epiſcopatus Derbatenſis, quantum in eo ſua Illuſtritas intereſſe habet, cum omnibus illarum Nobilibus, Vaſallis, curijs, fundis & univerſis bonis ad eas ſpectantibus, de quibus omnibus, certis perſonis, quæ adhuc ex Ordine Teutonico reſtant, nec non Conſiliariis & aliis honeſtis Viris de Republ. Livonienſi bene meritis, pro judicio & arbitrio Noſtro, ſervato delectu, adhibitaque in perſonis proportione Geometrica, concedemus providebimuſque. Munitionibus tamen interim omnibus in Noſtra & Succeſſorum Noſtrorum poteſtate reſervatis.

De perſona tamen Illuſtriſſimi *Domini Magiſtri* ſecus ſtatuimus, tanquam de ea, quæ in Nos ſingulari fide & obſervantia ſemper propendit, præ ceteriſque Regni Noſtri ſe obſervantiſſi-

tiſſimam præbuit. Ideo parem gratiam & benevolentiam Noſtram illi referre volentes, dignum exiſtimavimus, cui *Locumtenentiæ titulum ac prærogativam* in Arce & Civitate Rigenſi concederemus, prout præſentibus concedimus, ut in ea reſideat, jus & juſtitiam cum aliis Officialibus Noſtris adminiſtret, quam ad rem certum ſtipendium annuum illi ſuo tempore concedemus, aſſignabimuſque.

Præterea inter cætera & hoc inter Nos & Illuſtritatem ſuam convenit, ut permutatione *Epiſcopatus Curonienſis*, pro Sonneburga arce, & curiis Leal & Habzel Illuſtriſſimus Holſatiæ Dux, Magnus, contentetur, quam ad rem Noſtram illi recipimus operam, ut cum reliqua Curonia, Epiſcopatu quoque Curonienſi Illuſtritas ejus potiatur.

Neve cum limitum indiſcuſſorum vicinis Illuſtr. ejus controverſiam aut difficultatem habeat, pro Regia Noſtra autoritate curabimus, ut primo quoque tempore fines ad præſcriptum pactorum Potzuolenſium & poſteriorum Vilnenſium regantur, & certi conſtituantur in tota illa vicinia limites; Interea vero neutra pars alteri damnum inferat, aut litem & difficultatem moveat.

Cumque tractus Dunæ ſurſum atque deorſum limites inter Nos & Illuſtritatem ejus conſtituat, æquitatis ratio poſtulat, ut medietate fluvij in piſcando & alijs commoditatibus ejus Illuſtritas perpetuo gaudeat, quæque Inſulæ, ſive mediamnes alteri partes viciniores ſunt, apud eandem partem maneant.

Et cum hoc ſexennali bello, ſuæ Illuſtritatis, quam etiam Nobilitatis Curonienſis, præcipue vero eorum Diſtrictuum, qui penes Nos manebunt, vires exhauſtæ ſint, relaxatam Illuſtritatem ſuam & Nobilitatem ab oneribus hujus belli, aut ſaltem

ut

ut hoc præſtent aut nitantur, quæ commode pro modulo ſuo poſſunt, volumus. Alio autem tempore *eadem ſit ratio, quæ Illuſtritatis Domini Ducis Pruſſiæ.*

Neve etiam a Gedanenſibus & Rigenſibus *ob æs alienum contractum ſua Illuſtritas moleſtetur*, Regia Noſtra interceſſione ſtudebimus, ut aut *in gratiam Noſtram ſua Illuſtritas pecunia liberetur*, aut non prius, quam commode ſolvi poſſit, repetatur. Quemadmodum & *Wendenſibus*, *Wolmarienſibus*, *Pernovienſibus*, *ex mera Noſtra gratia & beneficentia Regia*, *in ſolvendis eorum debitis aliquid opis, per ſubminiſtrationem rei frumentariæ & alterius generis commeatus, adferemus.*

Monetæ etiam cudendæ facultatem Illuſtri Domino Magiſtro concedimus, *ad pondus & valorem Lithvanicæ*, & ut ejus promiſcuus & indifferens uſus ſit, tam in Lithvania, quam in Livonia. *Volumus attamen, ut ex una parte Noſtra effigies, vel inſignia Regni & Magni Ducatus Lithvaniæ, in altera Illuſtritatis ejus, exprimantur.*

Si quid porro Illuſtritati ſuæ vendendum, impignorandum, permutandumve fuerit, ſuper hoc Illuſtritati ejus libertatem facultatemque concedimus: ita tamen, *ut ad Nos & Sereniſſimos Succeſſores Noſtros de eo primo loco referatur, Nobiſque optio detur, ſi talem oppignorationem ipſi acceptare voluerimus:* ſin minus, *tum Illuſtritati ejus liceat, cui volet.*

Dabimus etiam operam, quando Ducatus Eſthoniæ cum civitate Revalienſi, vel tranſactione aliqua juſta, & nomini Noſtro honorifica, vel per belli rationes, recuperatur, ut Illuſtritati ſuæ æqua portio, vel in bonis, vel pecunia, concedatur; ſumptibus belli, ſi hoc nomine contra Sereniſſimum Speciæ Regem inſumendi erunt, ante omnia Nobis refuſis.

Tor-

Tormenta item bellica, quæ Nobis ad præſens in ceſſione arcium & civitatum relinquuntur, bello confecto, pro ratione quantitatis qualitatiſve, a Nobis reſtituantur.

Judæis vero nulla per totam Livoniam commercia, vectigalia, teloniave ullo unquam tempore concedemus.

Curabimus etiam, ut interea temporis, dum a Magno Ducatu Noſtro Lithvaniæ abſumus, & *negotium ſubjectionis in Polonia ex parte Regni tractamus*, *Livonia neceſſariis copiis militaribus*, tam *ad præſidia caſtrorum & civitatum*, quæ id a Nobis poſtulaverint, quibuſve id neceſſe fuerit, quam *ad arcendam ſubitaneam incurſionem hoſtilem*, in futurum eventum inſtruatur & firmetur.

Hæc omnia & ſingula Nos prædicto Principi aliorumque Ordinum ac Civitatum Nunciis ſacroſancte & religioſe ſervaturos, Nos jurejurando ſpopondimus. *Ipſe autem Princeps pro ſe & ſuis ſubditis, cæterorumque Ordinum, utpote univerſæ Nobilitatis & Civitatum Nuncii, viciſſim fidem ſuam ſacroſancte præſtito ſolenni jurejurando obſtrinxerunt, ſicut & præſentibus obſtringunt, quod ab hoc tempore & in poſterum, in ea fide, voluntate & obſequentia, quam nobis ſemel detulerunt, conſtanter permanſuri & firmiter perſeveraturi ſint, tanquam fidelem Vaſallum & ſubditos decet Imperio & poteſtati Noſtræ ſubjectos.* Nos vero pari ratione Principem ipſum benevolentia & favoribus; ſubditos vero illius & Noſtros clementia, & benignitate Noſtra Regia, proſecuturos, ornaturos & aucturos, Nos recipimus & præſentibus, interventu jurisjurandi Noſtri Regii, recipimus, harum teſtimonio literarum, quibus in fidem ſigillum Noſtrum præſentibus eſt ſubappenſum.

Datum Vilnæ XXVIII. Menſis Novembris, Anno Domini M. D. LXI. Regni vero Noſtri XXXII.

Privi-

II.

Privilegia, Nobilitati a Divo olim Rege, Sigismundo Augusto, circa subjectionem universæ Livoniæ, indulta.

SIGISMUNDUS AUGUSTUS, Dei gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithvaniæ; Russiæ, Prussiæ, Masoviæ, Samogitiæ, Livoniæque, &c. Dominus & Hæres, Notum facimus per præsentes literas, quorum interest, aut in posterum quoquo modo intererit, Universis: *Cum Livonia Provincia gravi ac diuturno Moschico bello, multisque cladibus afflicta, vastata, atque magna ex parte in potestatem hostium redacta esset: cumque & propter multarum civitatum, arciumque & propugnaculorum, amissionem, & ob maximam in omnes partes depopulationem vastitatemque, ferro atque igni in ea allatam, & propter quotidianas incursiones, magnumque hostis ad ejus reliquias occupandas apparatum, ad eam angustiam ac difficultatem Ordines illius redacti essent, ut nequaquam opibus viribusque propriis statum suum defendere, atque se a servitute crudelitateque hostili tueri ac vindicare possent;*

Illustrissimus ac Reverendissimus Dominus *Guilielmus, Archiepiscopus Rigensis*, Marchio Brandeburgensis, Stettiniæ, Pomeraniæ, Cassubiorum & Vandalorum, Dux, Rugiæ Princeps, Burggravius Norinbergensis, ac Illustrissimus Dominus, *Gothardus Ketlerus, Equestris Ordinis Teutonici in Livonia Magister*, Statusque & Ordines Livoniarum universi, & Civitatum Nuncii, dum & omnia domestica præsidia sua convulsa, & se ab aliorum præsidiis destitutos animadverterent, magnam autem spem in Nostro ditionum Nostrarum auxilio deponerent, matura delibera-

beratione habita, publicoque & concordi omnium conſenſu, *ſe Provinciamque ſuam in fidem & poteſtatem Noſtram tradiderunt, ac in perpetuum ditionibus dominiisque Noſtris, ad inſtar Terrarum Pruſſiæ, adjunxerunt & incorporarunt.*

Itaque Nos & fœderibus & vicinitate conjunctæ Nobis Provinciæ periculo, clade, vaſtitate, ſervitute permoti, & pro Chriſtiani Principis Officio pertinere ad fidem Noſtram intelligentes, ut homines Provinciamque Chriſtiani nominis a cæde, populatione, ſervitute, barbari ac crudelis hoſtis prohibeamus, eosdem in fidem & ditionem Noſtram accepimus. Qua quidem fide ac neceſſitate, in jure, libertate, fortunis, omnibusque commodis cæterorum ſubditorum ac dominiorum Noſtrorum conſervandis & tuendis obſtrictos eſſe, Nos devincimus & obſtringimus.

Cum autem inter reliquos Status ejusdem Provinciæ Livoniæ, qui ad profitendam & recognoſcendam ſubjectionem ſuam apud Nos comparuerunt, univerſus Equeſtris Ordo totius illius Provinciæ, nempe ipſa Nobilitas, indigenæ tam ultra citraque Dunam habitantes, per certos Nuncios, & Plenipotentes ſuos, videlicet Nobiles, Rempertum Gilzemium, Juris Doctorem, Gregorium Francken, Fabianum a Borch, Henricum & Joannem de Medhem, cum ſufficienti plenipotentiæ ſuæ mandato, ſigillis multorum Nobilium ex tota Provincia Livoniæ conſignato, apud Nos comparuiſſent, Noſque ſuo ac totius Nobilitatis Livonicæ nomine, de confirmatione jurium, libertatum, privilegiorum & immunitatum ſuarum, humiliter atque ſuppliciter compellaſſent; Obtulerunt Nobis in ſcriptis certa capita ſeu articulos, quos a Nobis in omnibus eorum punctis, clauſulis & conditionibus, confirmari, approbari & ratificari, debita cum in-

ſtantia ſupplicaverunt; Quorum quidem capitum ſeu articulorum tenor de verbo ad verbum ſequitur, & eſt talis:

I. Primum & ante omnia Sacræ & Sereniſſimæ Majeſtati Veſtræ, Domino noſtro Clementiſſimo, & tum libertatis noſtræ vindici, tum & liberatori, in quo omnem ſpem & fiduciam liberationis noſtræ concepimus, debita qua par eſt humilitate, noſtro totius Nobilitatis Livoniæ nomine ſupplicamus, ut Sacroſancta nobis & inviolabilis maneat Religio, quam juxta Evangelica Apoſtolicaque ſcripta purioris Eccleſiæ, Nicænæ Synodi, Auguſtanamque Confeſſionem, hactenus ſervavimus, neve unquam ullis ſive Eccleſiaſticorum, ſive Sæcularium, præſcriptis, cenſuris & adinventionibus, gravemur turbemurque quovis modo; quod ſi præter ſpem acciderit, nos tamen juxta Sacroſanctæ Scripturæ normam, qua præcipitur plus Deo, quam hominibus, obtemperandum eſſe, noſtram retineamus Religionem, conſuetasque ceremonias, neque nos in ulla ratione ab hac avelli ſinamus. Si vero errores, quorum malus ille Dæmon autor eſt, in illa ſuboriri continget, ut hiſce dirimendis tollendiſque Evangelici Apoſtolicique Doctores purioris Eccleſiæ Auguſtanæ Confeſſionis adhibeantur.

II. Proximum eſt, ut Eccleſiæ conſerventur, collapſæ reſtituantur, & quæ miniſtris puri Evangelii Doctoribus ſive Concionatoribus, & iſtorum honeſta ſuſtentatione, non proviſæ, ut hiſce ex liberalitate Sacræ Regiæ Majeſtatis provideatur; & ſiquis cenſus fundique hiſce adempti, vel ſuppreſſi fuerint, ut illi vel reſtituantur, vel æquivalente pretio compenſentur.

III. Ne pauperes negligantur, illorum enim juxta atque Religionis rationem habendam eſſe cenſemus. Cum nobis porro conſtet, quanta ſit calamitas pauperum, qui hac bellorum

clade

clade ex divitibus pauperes facti ſunt, ſuppliciter petimus, ut collapſa hoſpitalia bonaque illis olim conſecrata reſtituantur, & in quibus ante locis antiquitus erecta nulla fuerint, ut erigantur, & tam a Sacra Veſtra Regia Majeſtate, quam a Principe noſtro, pro Regia munificentia & liberalitate, dotentur. Quo facto CHRISTVS, qui hæc in ſe collata reputabit, Veſtræ Regiæ Majeſtati, Regnorum ditionumque ſuarum feliciorem ſplendidioremque faciet gubernationem. Ac cum hoc bello (proh dolor!) afflictiſſimæ, maritis parentibusque cæſis, multæ viduæ, orbæ parentibus virgines, in eam egeſtatem redactæ ſint, ut, quo vitam tolerent, vix habeant, obnixe oramus, ut inprimis de collegiis cœlibum virginum ita conſtituatur, ut afflictiſſimæ & miſerrimæ viduæ virgineſque maritis parentibusque orbatæ, in hæc recipiantur, neceſſarioque victu amictuque proſpiciantur, donec vel cœlibem optent vitam, vel ſanctum petant matrimonium. Neque enim in hoc vel cœlibum virginum, quarum numerus non ita magnus eſt, vel præfectorum earundem privatum commodum, ſed commune potius bonum ſpectandum eſt. Vtque idem cum Cœnobiis Monachorum, ſi illa Sacræ Regiæ Majeſtati Veſtræ aliquando ex manibus hoſtium reſtituta fuerint, conſtituatur, propter miſeros exanimatos ſenes, & pupillos parentibus orbos, paternisque bonis deſtitutos, qui in iisdem ali, educari, & humanioribus literis erudiri, poterunt, cum maximo Reipublicæ commodo. Ita enim ex Cœnobiis præfatis vetus Collegiorum forma reſtituetur, ex quibus honorifica Eccleſiæ & Reipublicæ organa, quandocunque neceſſarium fuerit, depromi poterunt.

IV. Cum nihil Reſpublicas magis quaſſare atque concutere ſoleat, quam legum, conſuetudinis atque morum, mutatio; Sacra Regia Majeſtas Veſtra bene conſtitutas Reſpublicas hac

ratione, non modo servandas, sed collapsas restituendas, prudentissimo atque vere divino consilio censuit, quod per Illustrissimum atque Magnificum Principem ac Dominum, Nicolaum Radziwil, in Olyka & Nieswiez Ducem, Palatinum Vilnensem, Dominum nostrum clementissimum, Principibus, Nobilibus, Civitatibus, atque Statibus Livoniæ, sub ipsius Sacræ Regiæ Majestatis plenæ potestatis mandatique proposito scripto promiserit, nobis non solum Germanicum Magistratum, sed & jura Germanorum propria atque consveta, concessuram, permissuram, atque confirmaturam se esse, quod & ad præsentis status conservationem, & collapsi erectionem restitutionemque, facit plurimum. Ut autem certum atque commune aliquod Provinciale jus, quo omnes Provinciales teneantur, ex consvetudinibus, Privilegiis, latisque sententiis, autoritate Vestræ Sacræ Regiæ Majestatis, constituatur, etiam atque etiam oramus, ut ad eam rem certi homines, in Jurisprudentia versati, ex autoritate Majestatis Vestræ designentur, qui talem formulam Juris Provincialis concipiant, componant, & communibus Reipubl. Livoniæ Ordinibus consentientibus ad recognoscendum, confirmandum & promulgandum, Vestræ Sacræ Regiæ Majestati offerant.

V. Ut solis indigenis, & bene possessionatis dignitates, Officia & Capitaneatus, *ad instar Terrarum Prussiæ*, conferre dignetur, prout nobis Regiæ Majestatis nomine promissum est, atque præscribantur nobis dignitates, officia & Capitaneatus, & quando & quibus quisque præficietur.

VI. Quamvis inficias ire non possumus, *appellationis remedium ad Tribunal Regium, superioritatem Sacræ Regiæ Majestatis maxime respicere*, neque nostri instituti sit, illam attenuare velle:

le: Tamen putamus, Sacram Regiam Majeſtatem, propter commodum & profectum Provincialium, aliam viam, & eam quidem compendioſiorem, & conſenſus communis arbitrio, & Veſtræ Regiæ Majeſtatis approbatione, invenire conſtituereque poſſe, ne vel propter itinerum difficultatem, locique intercapedinem maximam, vel propter miſerorum inopiam, plures cauſas in judicia delatas differri, & divitibus improbis, malevolisque hominibus inſolentiæ materiam præberi, contingat; conſultum itaque nobis videtur, ut Sacra Regia Majeſtas Veſtra in Civitate Rigenſi, tanquam totius Provinciæ Metropoli, certos Judices ſeu Senatores Suos conſtituat, idque ex indigenis per noſtrum Equeſtrem Ordinem delectos, per Majeſtatem vero Veſtram confirmandos, qui ſemel biſve in anno Rigam ſtatis temporibus una conveniant, & cauſas appellationum, ex autoritate Majeſtatis Veſtræ, decidant: ab illo vero Senatus Majeſtatis Veſtræ judicio, in cauſis gravibus, & maximi momenti, ad Tribunal Majeſtatis Veſtræ, non minus ex Archi-Diœceſi, quam ex Majeſtatis Veſtræ, & illuſtriſſimi *Domini Magiſtri* ditionibus, hoc eſt ex tota Provincia, ad Majeſtatem Veſtram, *tanquam ad ſupremum & hæreditarium Dominum noſtrum, appelletur*; Ita tamen, ut temerariæ & frivolæ appellationes præcidantur, ſtatuatur expreſſa pœna in temerarie appellantes, & extrahentes litem ſine juſta, legitima & probabili ratione, & ut taliter delinquentes condemnentur in decimam partem cauſæ, cujus dimidia pars fiſco Majeſtatis Veſtræ, altera dimidia pars appellato, dependatur.

VII. Cum hoc proprium Regium decus ſit, atque ipſa Majeſtas, quæ neminem vel minima læſione offendere, unicuique quod ſuum eſt tribuere, quod uniuſcujuſque eſt, ex amplitudine munificentiæ ſuæ adaugere, conſvevit, liberaliſſime Ve-

ſtræ

ſtræ Sacræ Regiæ Majeſtatis nomine promiſſum eſt nobis omnibus atque ſingulis, de quorum nomine miſſi ſumus, quod nobis atque ipſis, beneficiorum, feudorum, a Principibus & prædeceſſoribus ſuis acceptorum diplomata, conſignatas literas, poſſeſſiones, conſuetudines, privilegia, ac libertates, & quæcunque longiſſimo temporum uſu acquiſiviſſent obtinuiſſentque, inviolabiliter ſervari & confirmari, ſed ſi quæ majora ipſis omnibus atque ſingulis ex uſu eſſe poſſent, quod ea quoque ex Regia liberalitate de novo concedi deberent. Quam Regiam facilitatem, clementiam & benignitatem ut obſervanti pectore animorum noſtrorum proſequimur; ita eam fortunis noſtris omnibus, vita, ſaluteque ipſa demereri, ſedulo parati erimus. Proinde petimus, qua decet humillima obſervantia, ut non modo quæ antea dicta ſunt præſtentur nobis; verum cum plures ſint in Livonia, qui cum conſangvineis ſuis atque aliis familiis, jus ſimultaneæ ſive conjunctæ manus contrahendi facultatem olim nacti ſunt, ut hoc ipſum privilegium, a Veſtra Sacra Regia Majeſtate cæteris quoque omnibus, videlicet univerſæ Nobilitati, æque illis, qui ſub dominio *Domini Magiſtri* cæterorumque Principum manſuri, ac illis, qui Sacræ Regiæ Majeſtati Veſtræ immediate ſubditi futuri ſunt, noſtriſque perſonis ex liberali favore, pro Regio Veſtro ſplendore atque amplitudine, gratioſiſſime concedatur, in omnibus illorum bonis feudalibus, quæ modo obtinent, quæ in futurum quovis modo, ſive ſpeciali gratia, ſive contractu licito, obtinere poterunt, non modo cum conſangvineis, affinibus, ſed aliis quoque exteris familiis atque ſociis, tale jus ſimultaneæ ſive conjunctæ manus coire atque contrahere; hoc eſt, ut habeamus liberam & omnimodam poteſtatem, de bonis noſtris diſponendi, dandi, donandi, vendendi, alienandi & in uſus bene placitos, non requiſito

quiſito Majeſtatis Veſtræ conſenſu & alterius cujusvis ſuperioris, convertendi.

VIII. Si forte in hac belli calamitate, deprædatione, igneve vel alio caſu, cujuſque diplomata, monumenta privilegiorum, libertatum, aliarumque conceſſionum atque obligationum, amiſſa, abſumpta, perditaque eſſent, ut illa a Sacra Regia Majeſtate novis diplomatis, non modo innoventur, ſi de bonorum hæreditatione tranquilla atque continua poſſeſſione conſtiterit; Verum ut etiam obligatoriarum literarum, quæ hoc tumultu bellico perditæ ſint, fructu ii non careant, qui duorum vel trium teſtium autoritate obfirmare poſſint, tales literas penes ipſos fuiſſe, & ex adverſo de ſoluto, numerato, vel ſatisfacto, per alia literarum argumenta nil conſtet.

IX. Ut Sacra ipſius Regia Majeſtas Nobiles atque Proceres Livoniæ omnium honorum, dignitatum, jurium, libertatum atque prærogativarum, quibus hactenus tam Eccleſiaſtici, quam Sæculares, Barones, atque Nobiles Domini, Regni Polonici utuntur & fruuntur, juxta formam atque modum, quibus Pruteni ſub Sacra ipſius Regia Majeſtate poſiti ab ipſa obtinuerunt, participes facere dignetur.

X. Ut nobis libertatem gratiæ (ut vulgo appellant) pro Regia benignitate concedat, quemadmodum in ſucceſſione feudorum ſubditi Ducatus Eſthoniæ, Harriæ, Wironiæ, ac Diœceſis Rigenſis, olim a Regibus Danorum ſingulari beneficio usque in hunc diem obtinuerunt, ut eodem modo nos ejuſdem privilegii fructum, ex Veſtræ Sacræ Regiæ Majeſtatis ampliore auguſtioreque munificentia, capeſſere, atque cum perpetua Auguſti nominis celebratione poſteris noſtris relinquere poſſimus; hoc eſt, ut habeamus poteſtatem ſuccedendi, non modo in deſcendenti, ſed etiam in collaterali, linea utriuſque ſexus; Ita tamen,

men, ut præferatur masculinus, & fæmellæ pro modo facultatum dotentur; masculis vero non existentibus, fœmellæ in omnibus succedant, *salvo tamen Majestatis Regiæ jure fisci, seu jure caduco.*

XI. Cum nos Sacræ Regiæ Majestati Vestræ, illiusque Regno, Magno Ducatui Lithvaniæ, ac ditionibus, inevitabili necessitate in hisce nostris angustiis, quibus *propter barbari hostis insolentiam ad extremum cum Principe nostro redacti, & ab Imperio Romano deserti, nos, vitamque nostram, parentes, uxores & liberos, tueri non possumus, sed medius fidius in hostis crudelissimi potestatem venire oportuerit, priusquam ab Imperio defenderemur, in subjectione consenserimus;* Sacra ipsius Regia Majestas efficiat, quemadmodum cautum est, ut propter hanc Principis nostri deditionem, nosque subditos, apud invictissimum Imperatorem, Electores, Principes ac Status Romani Imperii, tueatur honorem, substantiamque nostram, *ne censura Imperii publica, aliave infami nota vexemur, damnove afficiamur, quin potius indemnes conservemur.*

XII. Ut nos in posterum a Sacra Regia Majestate non solum contra Moschum, sed quoscunque hostes nostros, conjunctis Regni Poloniæ omniumque ditionum suarum viribus, de facto defendamur, hostem in propriis ditionibus integra belli mole quamprimum adoriamur, ne vel hostilibus, vel sociis armis, sociorum terris graviora majoraque damna inferantur: Melius etenim est ex hostium sangvine æstuare, quam nostri sociorumque deprædatione perditioneque saginari.

XIII. Ut nemo in suis graniciebus atque constitutis limitibus prædiorum suorum, qui ex certis monumentis liquent, perturbetur, sed in possessione illorum a Sacra ejus Regia Majestate

jeſtate tueatur. Si vero qui limites temporum vetuſtate corrupti amiſſive eſſent, ut illi ſive per delegatos, ſive per arbitros, prout æquitatis poſtulaverit ratio, innoventur reſtituanturque. Ubi vero in terris Livoniæ diſperſi inter ſe Nobilium, item ruſticorum, agri habentur, & ut Germanice appellantur, *Streuvvlande und Hakenlande*, iſti ſecundum conſvetam menſuram unicuique integri, abſque ulla diminutione, læſioneve permittantur, ut ſcilicet juxta veterem præſcriptam formam quilibet uncus aut manſus agri, quem vulgo *Haken* nominamus, ſexaginta ſex funes, ſive ut dicitur, baſtas, quarum baſtarum quælibet ſexaginta ſex Faden contineat. Quæ vero ex vaſtis nemoribus, multo longoque ſudore acquiſita, primi occupantis, juxta juris communis ordinationem, manebunt, niſi prior occupans illa deinceps pro derelicto habuiſſet ac alius ea abunde poſſediſſet, legitimeque præſcripſiſſet, ut is quoque in tali poſſeſſione retineatur, tueaturque.

XIV. Vt Nobilibus Livoniæ integrum atque liberum ſit, per Regnum Poloniæ, Magnum Ducatum Lithvaniæ, aliaſque ſuæ Regiæ Majeſtatis ditiones, Regalibus viis, & ubicunque ipſis negotium fuerit, abſque ulla remoratione telonii aliarumve datiarum impoſitione, vel requiſitione, libere ire atque tranſire, mercatoribus exceptis, idque tam terra, quam mari, cæteriſque fluminibus, cum omni immunitate permittatur. Et ſi aliquem iſtorum in præfato Regno, Magnoque Ducatu Lithvaniæ, aliisque ditionibus, quidquam deponere contingat, ut idem ſine ulla moleſtia, ulloque telonii & quarumvis aliarum datiarum gravamine, inde revocari & reduci, quandocunque viſum fuerit, integrum liberumque maneat.

XV. Vt, confecto hoc bello in Livonia, veteres regales & communes ſtratæ reſtituantur in priſtinum ſtatum, ſerventurque, reliquæ vero ab uſu communi alienæ præcludantur, pro-

M pter

pter varia incommoda, quæ ultro citroque dominis vicinis eorumque ſubditis inde ſuboriri poſſunt.

XVI. Ab hoſtibus pro defenſione communis patriæ capti, & poſtliminii jure, & redemptionis beneficio per Veſtram Sacram Regiam Majeſtatem fruantur atque gaudeant, ut, etſi ſervitutis calamitate mortui cenſeantur, tamen ſpe recuperandæ libertatis vivere videantur.

XVII. Quamvis major pars Nobilitatis per hoſtem partim bonis ſuis Feudalibus ſpoliata, partim diuturnitate belli fortunis exhauſta, ut uxorum atque liberorum ſuſtentationis plerisque plane nihil, aliis vel minimum, ſuperſit; tamen illos ſingularis erga Sacram Veſtram Regiam Majeſtatem obſervantia, item fortunarum, libertatum, dignitatis, vitæ etiam atque ſalutis propriæ, reſpectus eo impellunt, (quæ ipſis partim beneficio Veſtræ Sacræ Regiæ Majeſtatis hactenus utcunque ſervata ſunt, partim Dei beneficio ſervata ac reſtituta iri ſperant) ut non modo ipſam omni honore venerentur, ſed vita atque ſalute ipſa illud libenter conteſtabuntur. Et cum plurimi noſtrorum nihil reliquum habeamus præter vitam, hanc parati ſumus quoquo tempore apud Sacram Regiam Majeſtatem Veſtram exponere: Reliqui verò etiamſi & ipſi belli quinquennalibus ſumptibus exeſi; tamen ſe illi offerunt, & nos una cum eis offerimus ad omnia, quæ poſſibilia eſſe poterunt, ſperamuſque, Veſtram Sacram Regiam Majeſtatem, ſi ad expeditionem bellicam eo, quo conſveveramus, equitatu propter exhauſtas vires prodire non poterimus, illud non tam ulli neglectui, aut protervitati, ſed impoſſibilitati, imputaturam eſſe. Poſtulamus itaque, ut unusquisque ſecundum reſtantes facultates bellicam expeditionem Sacræ Regiæ Majeſtati Veſtræ ſerviat, non autem ſecundum eas, quas ante, rebus integris ſtantibus, obtinuit, & ut eodem plane modo,

modo, si qui extra numerum sui debiti ac soliti equitatus ac servitii, in honorem atque commodum Sacræ Regiæ Majestatis Vestræ, plures equites atque milites educere possent ac vellent, stipendia conferantur, quemadmodum cæteris Sacræ Vestræ Regiæ Majestatis, Regni, & Magni Ducatus Lithvaniæ, incolis numerari & conferri consveverunt, utque id tam in præsenti, quam futuris, belli temporibus perpetuo servetur.

XVIII. Cum digna vox Majestate Regnantis sit, fateri, Imperium subjectum esse legibus, ne deinceps ullus Princeps, ullus Magistratus, sive superior, sive inferior, vel quivis alius, extra cognitionem causæ, Nobiles vasallos, vel quosvis alios, possessionibus temere exuat, destituat, spolietve: sed si quid juris in alium habere quisquam putarit, hoc ipsum coram judicio ordinario Senatorum Majestatis Vestræ Regiæ, vel Provinciali conventu, experiatur. Non enim æquum est, ut in propria causa quis ipse sit judex. Sicut enim jus oritur ex facto; ita de uniuscujusque facto aut culpa non nisi mediante jure, lege & sanctione, per Judicem decidi debet. Nemo itaque in posterum causa indicta, non convictus, neque legitimo juris processu damnatus, fortunis aut facultatibus suis exuatur, quemadmodum antea exuti sunt nonnulli honesti, & in suos Principes & Magistratus obedientes, fideles & officiosi, cives. *Et ut in tali facto liceat oppresso ad Tribunal Sacræ Regiæ Majestatis Vestræ Regium, extraordinarie*, coram Notario, instrumento gravaminis, *& de salvo conductu ad cognitionem causæ Sacræ Regiæ Majestatis Vestræ, supplicare.*

XIX. Vt nullus, cujuscunque eminentiæ aut conditionis existat, personis, castris, domibus aut possessionibus alicujus, ullam violentiam inferre, incursiones facere, in publicis stratis insidias ponere, præsumat. Qui autem super his convictus, ut

juxta leges capitis pœna plectatur. Simili modo hi, qui honestas matronas, viduas, virginesque raperent, vel per vim stuprarent, comprimerentve, cum alias ipsis omnis debeatur honos atque reverentia, ac merito, ut eodem capitis supplicio puniantur.

XX. Cum etiam mercatores, præsertim peregrini sive exotici homines, in Nobilitatis ac civitatum injuriam, pelles, frumenta, lupulum & alia mercium genera, in villis ac pagis clam & publice coëmere, negotiationesque illicitas exercere, soleant, ut illud Vestræ Sacræ Regiæ Majestatis autoritate caveatur, prohibeaturque, ne id de cætero fiat. Vt autem ratio Dominorum Nobilitatisque habeatur cum pellibus ferarum & bestiolarum, Sacra Regia Majestas Vestra providebit.

XXI. Quemadmodum antiquitus omnibus Livoniæ Proceribus, Nobilibus, Equitibus, Vasallisque libera in universum hucusque ferarum lustra atque meatus fuerunt, ipsaque venatio liberrima, ita sylvarum, nemorum, pascuorum, pratorum actuumque, liberrimum habuerunt usumfructum, quod ex feris bestiolisque sylvestribus pelles, quas vulgo *Wildwerck* nominat, ex nemoribus sylvisque omnium lignorum usum, qualemcunque meliore fructu habere obtinereque potuerunt, quod *Waldtwerck* dicimus, in omnibus speciebus ejusdem, in cinerum sive liquoris picei extractione, sive aliis lignorum diversis sectionibus, is comparari unquam poterat; Ita quoque mutua atque transitoria fiat & est adhuc hodie servitus, qua ultro citroque alter in alterius fundo liberrima habet apum pascua & mellifluas arbores. Quemadmodum hæc omnia investiturarum monumentis, longissima præscriptaque consvetudine, adhuc hodie ab omnibus Nobilibus obtinentur & servantur; Ita quoque omnes Nobiles atque Proceres Livoniæ hactenus habuerunt Jus coquendæ

quendæ cerevisiæ, illiusque ad suas tabernas vendendi potestatem, absque ullius impedimento, vel datiarum vel assisiariorum gravamine. Ne vero in posterum callidis officiariorum adinventionibus, ne dicamus expilationibus, in talibus libertatibus quoquo modo graventur, petunt Nobiles ac Proceres Livoniæ, ut hæc specialius privilegio Regio explicentur, ne omissa impræsentiarum, nocuisse olim, sed quæ expressa jam prodesse & in futurum & perpetuum profuisse, videri poterunt; publica tamen contributione, & alio vectigali, communi consensu Ordinum & universæ Nobilitatis, ad Sacræ Regiæ Majestatis Vestræ & Reipublicæ necessitatem, pro tempore decernenda, semper excepta.

XXII. Vt rustici, qui vel per Principis concessionem in alicujus potestate fuerunt, ab aliis non capiantur, neque detineantur, sed ad ejus, cujus intersit, postulationem exhibeantur, nisi certis diplomatum argumentis, vivisque testibus edocere quis poterit, illos sibi a legitimis ipsorum Dominis concessos atque translatos esse, manebunt in potestate ejusdem, in quem eum in modum concessi translatique fuerunt, alias restituantur secundum receptum morem & antiquam consvetudinem Livoniæ.

XXIII. Vt hactenus Nobilium rustici ad sola Dominorum suorum opera fuerunt obstricti: Ita petimus provideri, ne ad alia servitia in libertatis nostræ præjudicium cogantur, sed ut antiqua consvetudo observetur.

XXIV. Vt fines terrarum diligenter observentur, ne prædones & grassatores ingrediendo impune grassentur.

XXV. Ne lites atque controversiæ transactionibus judicatæ vel sopitæ in posterum resuscitentur, Suæque Sacræ Regiæ Majestati

jeſtati inclytisque Senatoribus moleſtiam inferant, *ut in genere tranſactiones ac definitivæ ſententiæ omnes a Principibus Livoniæ dictæ latæque per Sacram Regiam Majeſtatem Veſtram confirmentur.*

XXVI. Cum ſæpenumero in Livonia acciderit, quod nonnulli Nobiles a propriis ruſticis clam occiſi ſint; Ut vero in poſterum a talibus flagitiis deterreantur, petunt Nobiles Livoniæ, ut de ſingulari gratia, merique Imperii Sacræ ejus Regiæ Majeſtatis poteſtate, ſuis curiis capitalis civilisque judicii privilegium, quemadmodum Nobiles Eſtoniæ Ducatus olim a Regibus Danorum conſecuti ſunt, & in hunc uſque diem obtinent, annectatur concedaturque.

XXVII. Ultimo, cum ex Monetæ inæqualitate hactenus varia & inexplicabilia damna atque incommoda Livoniæ illata ſint; petimus de illa etiam certum quid conſtitui, ſcilicet, ut ea excudatur in poſterum moneta, quæ in gravi valore & æſtimatione par Polonicæ & Lith. exiſtat, ut ultro citroque Polonica Lithvanicaque moneta in Livonia, Livonica e converſo in Polonia & Magno Ducatu Lithvaniæ, currat.

Nos itaque SIGISMUNDUS AUGUSTUS, Rex Poloniæ, & Magnus Dux Lithvaniæ, præfatus, &c. præinſertos articulos XXVII. & humiles ſupplicationes univerſi Equeſtris Ordinis Nobilitatis Livonicæ, tanquam juſtas ac legitimas, *autoritate Noſtra Regia, tanquam directus Dominus, cui merum & mixtum Imperium in totam Provinciam, vigore præſentis ſubjectionis Nobis profeſſæ, competit,* in omnibus earundem poſtulationum & articulorum clauſulis, punctis & conditionibus confirmandos, approbandos & ratificandos eſſe, duximus, prout confirmamus, approbamus & ratificamus præſentibus hiſce literis Noſtris, decernentes eas abhinc, & in poſterum, robur debitæ & perpetuæ firmi-

firmitatis obtinere debere, utili tamen dominio Illustrissimi *Domini Magistri* per hanc confirmationem Nostram, in terris Illustritatis ejus, nihil derogantes, harum testimonio literarum, quibus, in fidem præmissorum, sigillum Nostrum præsentibus est subappensum. Datæ Vilnæ, feria sexta post Festum Sanctæ Catharinæ, Anno Domini M. D. LXI. Regni vero Nostri Anno XXXII.

III.

Juramentum Regis Poloniæ, circa subjectionem præstitum.

EGo Sigismundus Augustus, Dei gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Lith. Russiæ, Prussiæ, Mazoviæ, Samogitiæ, Livoniæque Dominus & Hæres, juro, spondeo & promitto, ad hæc Sancta DEI Evangelia, quod omnia jura, libertates, privilegia, immunitates Provinciæ Livoniæ, Ecclesiasticas & Sæculares, Ecclesiis quoque & Spirituali earum statui, Archiepiscopo, Episcopis, Principibus, Magistris, Capitulis, Commendatoribus, Advocatis, Nobilibus, Vasallis, Civibus, incolis, & quibuslibet personis, cujusque status ac conditionis existentibus, per Imperatores Romanos & alios quoscunque Reges, Duces, Principes, Ordinis Teutonici Magistros, & alios legitimos Magistratus, illi Provinciæ & Statibus concessas, manu tenebo, servabo, custodiam, & attendam in omnibus conditionibus atque punctis. Omnia illicite ab eadem Provincia alienata, aut per hos belli tumultus Moschorum avulsa, pro posse meo & conjunctarum Provinciarum mearum, ad proprietatem ejusdem Provinciæ, armis sive pactionibus recuperabo, aggregabo; Terminos ejusdem Provinciæ non minuam, sed pro posse meo dimi-

diminuta & in hostium potestatem redacta recuperabo, defendam & dilatabo. Sic me DEUS adjuvet, & hæc Sancta Evangelia.

IV.

Juramentum Ordinum Livoniæ, Sigismundo Augusto, Vilnæ, per Legatos præstitum.

NOs Commendatores, Advocati, Nobiles, Vasalli, Cives, Civitatum Proconsules, Consules, nostro & reliquorum nostrorum amandatorum nomine *promittimus & juramus, quod ex nunc & deinceps fideles & obedientes erimus Serenissimo Principi & Domino*, D. SIGISMUNDO AUGUSTO, Dei gratia Regi Poloniæ &c. pleno titulo, &c. Domino & Hæredi, *ejusque Successoribus Regibus, ac Regno Poloniæ, Magnis Ducibus, & Magno Ducatui Lithvaniæ;* Suæ Sacræ Maiestati Regiæ, Regno ac Ducatibus assistemus, necnon ejus Successoribus, contra quoslibet inimicos, quibuscum nullos tractatus, nulla fœdera, inducias aut contractus, faciemus, sine Suæ Majestatis Regiæ consensu & approbatione; Sed *nos in omnibus fideles, observantes & obsequentes, omni loco & tempore, præstabimus*, consilium & alterius generis mandata nobis credita, ad suæ Sacræ Regiæ Majestatis damnum, non revelabimus, sed fideliter exequemur, *omnemque machinationem, quam practicari suboleverimus in præjudicium Regiæ Majestatis* & Ducalis dignitatis, custodiemus, *præcavebimus, & pro posse nostro, summa fide impediemus.* Sic nos DEUS adjuvet, & Sacrosanctæ Evangelicæ veritatis professio, necnon Crux, supplicium, ac mors Domini nostri JESU Christi.

V. Jura-

V.

Juramentum Magiſtri Livoniæ

EGo N. Juro, quod ab hac hora & deinceps *fidelis ero & obediens Sereniſſimo Principi, pleno titulo*, &c. Domino & Hæredi, profectum illius fideliter procurabo, in negotiis Regiis & Ducalibus fideliter conſulam, & ſecreta, quæ mihi qualitercunque concredita & communicata fuerint, in eorum detrimentum nemini pandam. Sic me DEUS adjuvet, &c.

VI.

Incorporatio Ducatus Curlandiæ & Semgalliæ cum Regno Poloniæ,

Lublini, d. 3. Aug. A. 1569. ſignata

SIgiſmundus Auguſtus, Dei gratia Rex Poloniæ, M. D. Lith. Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Kijoviæ, Volhyniæ, Podoliæ, Podlachiæ, Livoniæ, Significamus præſentibus Literis Noſtris, quorum intereſt univerſis & ſingulis: Quod cum Illuſtr. D. Gothardus, in Livonia Curlandiæ & Semigalliæ Dux, Generoſos, Fridericum a Kanicz, & Michaelem a Brunow, Conſiliarios & Senatores ſuos ad Nos Regnique Noſtri Ordines cum certis mandatis ablegaviſſet, atque hi ipſi literis fidei ſuæ plenipotentiæ prædicti Illuſtris Domini Ducis demonſtratis, id ſibi ab Illuſtritate ſua injunctum eſſe dicerent, quo nomine Illuſtritatis a Nobis Regnique Ordinibus poſtularent, ac enixe peterent, ut, quoniam negotium Unionis Regni Noſtri cum Magno Ducatu Lithvaniæ ad ſalutarem finem exitumque optatum jampridem DEO immortali adjuvante perduxiſſemus, tem-

tempusque adesset, quo Livoniæ quoque a barbaro & truculento hoste majorem in modum populatæ & afflictæ per Nos aliquando consuli possit, *subjectionem Illustris Domini Ducis & subditorum ejus, de communi sententia atque assensu Omnium Ordinum Regni cum Ducatu Lithvaniæ uniti, acceptaremus:* Nos, etsi memoria tenebamus, superioribus annis, quo tempore ab Ordinibus Livoniæ crebris literis atque nuntiis ad eam ipsam subjectionem acceptandam sollicitaremur, *sortem illius Provinciæ atque calamitatem miseratos, hanc ipsam privatim & persona Nostra, in fidem atque protectionem Nostram suscepisse;* tamen & illud etiam meminimus, cum prædicta subjectio præsentiam Senatus Polonici ac pleniorem deliberationem requireret, *rejecisse Nos hujus ipsius rei tractationem in tempus aliud ad eam rem conficiendam commodius.* Quod cum se Nobis obtulisset, faciendum esse existimavimus, flagitantibus præsertim Illustris Domini Ducis Plenipotentibus, & Unione Regni cum Magno Ducatu Lithvaniæ absoluta & perfecta, & ejus Illustris subjectionem per supradictos Plenipotentes Illustritatis ejus Nobis delatam de consensu & voluntate omnium Ordinum Regni & Magni Ducatus Lithvaniæ, ita ut ante dictum est, uniti, in præsentibus Regni comitiis acceptaremus, quemadmodum præsentibus literis Nostris acceptamus, *ipsumque Illustrem Principem in fidem & clientelam Nostram Regnique Nostri cum omni Ducatu, & ditionibus Illustritatis suæ, publico Regni cum Magno Ducatu Lithvaniæ uniti nomine, recipimus;* nimirum *ut ab eo tempore inposterum Illustr. sua ejusque hæredes cum Ducatu Curlandico Semigallicoque Regno Nostro cum Ducatu Lithvaniæ unito, tanquam uni & indiviso corpori, perpetuis temporibus subjiciatur & incorporetur, ac in clientela & defensione Nostra & Regni, cum Magno Ducatu Lithvaniæ uniti, permaneant,* speramus autem Illustritatem suam, & ejus Illustritatis posteros,

in

in ea fide, voluntate, subjectione, quam Nobis Regnoque cum Ducatu Lithvaniæ unito per supradictos Plenipotentes detulerunt, constanter permansuros & firmiter perseveraturos.

Quibus Nos viciſſim defenſionem Noſtram, Regni Noſtri, ac conſervationem omnium privilegiorum, libertatum immunitatum, a Nobis eisdem conceſſorum, libertatibus Noſtri tamen Regni non adverſantium, pollicemur atque promittimus; quæ Privilegia, immunitates, libertates, tum renovaturi, confirmaturi, & in pleniorem formam redacturi ſumus, cum Illuſtritas ſua Nobis, Regnoque Noſtro debitum homagium præſtiterit. In cujus rei fidem & teſtimonium manu Noſtra præſentes ſubſcripſimus, & ſigillum Noſtrum appendi juſſimus. Datum Lublini, in Conventu generali Regni, die 3. Menſis Auguſti, Anno Domini 1569. Regni vero Noſtri XL.

X.

Formula Regiminis Ducatuum Curlandiæ ac Semigalliæ in Commiſſ. Mitavienſi, *menſe Martio A. 1617.* promulgata.

NOs Joannes Kuczborſki, Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopus Culmenſis ac Pomeſaniæ; Adamus Tavois, Samogitiæ, Maximilianus Przerebſki, Zavichoſtenſis Caſtellani, Capitaneus Petricovienſis, Andreas Mleczko, Judex Terreſtris Upitenſis, Gvilhelmus Kochanſki, S. R. M. Secretarius, Sereniſſimi & Potentiſſimi Principis & Domini, Domini Sigiſmundi Tertii, Dei gratia Regis Poloniæ, Magni Ducis Lithvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Livoniæque &c. nec non Svecorum, Gothorum, Vandalorumque hæreditarii Regis, Domini

nostri Clementissimi, Ordinumque Regni & Magni Ducatus Lithvaniæ, in Curlandiæ & Semigalliæ Ducatum, Districtumque Piltinensem, plena cum potestate Ablegati Commissarii,

Significamus præsentibus literis Nostris, quorum interest universis & singulis: Cum inter alia Commissionis in Curlandiæ & Semigalliæ hoc Ducatu obeunda negotia illud quoque injunctum Nobis esset, ut jura & leges certamque rationem & formam, qua & Ducatus hic recte & ordine regi & gubernari, & justitia iis, quorum interest, administrari possit, Autoritate nostra Commissoriali præscriberemus constitueremusque; Nos id ipsum æqua & diligenti, tum primorum pactorum, quibus hæc Provincia Regno Magnoque Ducatui Lithvaniæ adjuncta est, tum Decretorum Comitialium, Instructionisque nostræ, ratione habita, re cum Illustri Principe, Friderico, in Livonia Curlandiæ & Semigalliæ Duce, atque cum Nobilitate universa, communicata, in hunc, qui sequitur, modum explicasse, sancivisseque, ac usum in posterum frequentandum promulgasse, sancireque & promulgare præsentibus literis nostris.

In primis sub regimine Illustris Curlandiæ & Semigalliæ Ducis Supremi Consiliarii & Assessores sint hi, Landhoffmeister, Cancellarius, Burggrabius, & Landmareschalcus, omnes quatuor Nobiles indigenæ, beneque possessionati, cum duobus Doctoribus, Jurisconsultis, Nobilibus itidem, si haberi possint, vel iis deficientibus, ex Civico statu.

Cancellarius sit vir doctus, atque ad obeundum sustinendumque illud munus idoneus, cui defuncto ex majoribus minoribusve Capitaneis, vel reliqua etiam Nobilitate, ubi nimirum vir gerendo muneri par inveniri possit, substitui a Principe debet.

No-

Nomine autem Indigenarum etiam Poloni & Lithvani Nobiles, in Curlandiæ & Semigalliæ Ducatu bene possessionati, comprehendantur.

Principem si abesse a Ducatu, vel minorennem, aut infirmum esse, vel etiam mori, contigerit, præfati Consiliarii Jurisdictionem & Judicia exercebunt, mandata & sententias, aliaque omnia administrationis munia, Principis nomine, quamdiu in vivis erit, expedient, ac promulgabunt, atque hæc Jurisdictio eorum etiam mortuo Principe indivisa, atque in solidum censeri debebit, & uno pluribusve eorum defunctis, reliqui suo munere plene fungantur; *Jure tamen Sacræ Regiæ Majestatis & Reipublicæ per omnia & in omnibus salvo.*

Secundum hos Consiliarios, Assessores proximo loco in Ducatu sint Capitanei majores quatuor, duo in Semigallia, Selburgensis & Mitaviensis, &, *si Sacra R. Majestas ac Respublica Ducatus quoque Curlandici partem sub unius ejusdemque Principis regimine esse voluerit, in Curlandia totidem*, Goldingensis & Tuckumensis, qui & ipsi ex indigenis beneque possessionatis a Principe eligantur; Ex quorum quatuor Capitaneorum numero, si quis ex Consiliariis præfatis Supremis decesserit, alius in locum defuncti a Principe surrogetur.

Hi autem Capitanei majores quatuor singulis Nobilibus & ignobilibus, quorum Jurisdictio illis attribuetur, in Causis primæ instantiæ, adhibitis Assessoribus, quos habere potuerint, jus dicent; Selburgensis nempe Selburgensibus, Duneburgensibus & Ascheratensibus; Mitaviensis, Mitaviensibus, Bauscenburgensibus, Nehogutensibus, Ekaviensibus, Baldonensibus, Sessaviensibus, Grentzhaffiensibus, Doblinensibus; Goldingensis, Goldingensibus, Vindaviensibus, Alschvangensibus,

Hasen-

Hasenpotensibus, Durbensibus, Gramsdensibus, Schrundensibus, Fravenburgensibus; Tuckumensis autem Tuckumensibus, Candaviensibus, Sabelensibus, Talsensibus, Acensibus. Quibus quidem Capitaneis Majoribus quatuor, sive ii defuncti, sive in locum Consiliariorum Principis defunctorum suffecti, fuerint, ex Capitaneis minoribus, quos Princeps voluerit, succedant. Neque vero quisquam, sive Consiliariorum, sive Capitaneorum commemoratorum omnium, absque gravi & justa legitimaque causa, de qua Princeps cum Consiliariis & quatuor Capitaneis majoribus cognoscet, loco movebitur; Ista autem cognitione facta removeri poterit.

Judicia Capitaneorum majorum quovis anni tempore, solis diebus Festis exceptis, exercebuntur, salva jurisdictione Nobilium singulorum in territoriis ac fundis eorum, secundum pacta illis competente.

Ab hoc autem Judicio Capitaneorum appellationes ad judicium Principis aulicum supranominatorum Consiliariorum interponantur.

Judicia Aulica quotannis bis celebrentur, singula spatio septimanarum quatuor, aut minori, si nimirum tanta frequentia Causarum non sit, circa Festum Trium Regum, & TRINITATIS, *a quibus appellationes omnes indistincte, in causis excedentibus summam sexcentorum florenorum, & honorem concernentibus, ad Regiam Majestatem deferantur:* Partesque terminum ad prosequendam appellationem, ex lege hoc habebunt Judicii tempus, *quod Pruthenicarum Causarum expeditioni in Aula Sacræ Regiæ Majestatis datum est,* Mensium scilicet Martii & Octobris, eædemque appellationes ad Sacram Regiam Majestatem interpositæ ad judicium Relationum Sacræ Regiæ Majestatis proprium, præterito

Judicio

Judicio Aſſeſſoriali devolventur, atque ibidem, juxta leges & conſvetudines Curlandicas, determinabuntur.

Literæ inhibitoriæ proceſſus, Judicio Principis pendentes, retardantes & cohibentes, *ante interpoſitam appellationem ex Cancellaria Sacræ Regiæ Majeſtatis non extradentur*: impetratæ autem nec juſtitiam dimorari, nec judiciorum autoritatem ſiſtere, neque judicata reſcindere, poterunt, & impetrator earum amiſſione Cauſæ mulctari debebit.

Nemo omnium ſive Nobilium, ſive Incolarum, bonis ſuis, ſine legitima cognitione & judicio, privetur.

Magiſtratus omnes & ſinguli Civitatum, & Oppidorum Decuriones, omnibus requirentibus, juſtitiam indilatam adminiſtrabunt, depactioneſque ultra ſalaria aſſignata, aut ſportulas uſitatas a quoquam non exigent, ſub pœna reſtitutionis & damni emergentis refuſione.

Proceſſus in omnibus Judiciis ſive criminalibus, ſive Civilibus, ſive inferioribus, ſive ſupremis, ſummarius ſit, & oretenus omnia proponantur, non in ſcriptis: ſententiis vero Judicum merita Cauſarum, ut in Regno Poloniæ moris eſt, inſerantur: partibus tamen ſtatum cauſæ ſuæ, pro informatione Judicis, breviſſime conſcriptum exhibere liberum erit.

Nobilium cauſæ criminales a Judicio Aulico Principis Conſiliariorum, adjunctis quatuor Capitaneis Majoribus, determinentur, *appellatione ad Sacram Regiam Majeſtatem ſalva*; exceptis tamen cauſis publicorum criminum, invaſionum, ſpolii, incendiorum, violentæ deflorationis, fœminarum raptus, deprædationum, homicidiorum ex dolo atque inſidiis factorum, in quibus appellationes non admittuntur.

Poſt

Post sententiam definitivam sive Judicii Aulici Principis, sive Capitaneorum quatuor, præter appellationem, nullum aliud beneficium parti gravatæ contra sententiam latam tribuetur, sive sit restitutionis, nullitatis, revisionis, vel quodcunque, quo lites protrahantur, sola declaratione sententiæ obscure pronuntiatæ excepta.

Si lis inter Principem & Nobilem sive unum, sive plures, de possessionibus aliisque rebus orta fuerit, *causa ea immediate coram Regia Majestate intentabitur.* Quodsi etiam Sacra Regia Majestas, Successoresque ipsius, quibusdam ex Ducatu Curlandico aut Semigallico ex causa justa ac legitima fide publica cavendum, salvumque conductum tribuendum, existimaverint, *Illi pro Jure Regiæ Majestatis in hunc Ducatum Supremo, directoque Dominio, apud Illustrem Curlandiæ & Semigalliæ Principem, Successoresque ejus, sacrosancti semper erunt, ac esse debebunt.*

Non dabuntur autem salvi conductus hominibus ullis facinorosis, sed tantum si quis, ex sinistra aliqua delatione, offensionem Principis Successorumque ejus incurrerit, vel adversarii alicujus potentia prematur, aut alia aliqua justa de causa dignus præsidio ac patrocinio Sacræ Regiæ Majestatis videatur; Dabunturqve conductus tales non a jure, sed a vi tantum & potentia, eatenus, ut qui eos impetraverit, juri nihilominus se sistere, reiqve judicatæ parere, teneatur; duranteqve salvo conductu impetrator modeste se gerat, nullum injuria afficiat, & publicum salvum conductum illum ad notitiam omnium, maxime autem Magistratus, a qvo vim veretur, adducat; iiqve ad sex tantum mensium spatium dabuntur, intra qvos menses, & jure experiri, & alia negotia sua honesta gerere, administrareqve qvi salvum conductum habuerit, possit: Spatio autem eo exacto, alium præter hunc impetrare ei liberum sit.

Frivole

Frivole Principem, aut Consiliarios, ad Tribunal Regium citantes, aut pertrahentes, & a quibusvis aliis sententiis, sive ipsius Principis, sive Consiliariorum, sive aliorum Judicum inferiorum, temere appellantes, aut Principem suum, vel quoscunque alios, sine causa apud Regiam Majestatem traducentes, damna omnia omnesqve sumptus refundant, ac præterea Judicio Regiæ Majestatis, pro rei qualitate, arbitraria pœna puniantur.

Executio rerum judicatarum ab Officialibus & Magistratibus in præjudicium eorum, quorum interest, non solum retardari non debet, verum unicuiqve vincenti, sive indigenæ, sive extraneo, æquali modo administrabitur, sine protelatione & mora, sub pœna refusionis damnorum, totiusqve ejus, quod intererit partis læsæ, restitutione.

Executores negligentes pœna quinquaginta Hungaricalium, toties, quoties id commiserint, puniantur, & partes executioni resistentes pœna violatæ pacis publicæ irremissibiliter puniantur, a quibus pœnis nulla provocatio dabitur.

Mandata adversus executionem obtenta nullius valoris erunt, & qui ea impetraverint, pœna viginti Hungaricalium, Magistratus autem sive executores talibus obtemperantes, quinquaginta, mulctentur.

Conventus publici singulis bienniis Mitaviæ celebrentur, ad quos singuli districtus, postqvam articulos deliberatorios nacti fuerint, Nuncios suos cum sufficienti potestate ablegabunt.

In quibus Conventibus nihil decernetur, quod Pactis Subjectionis fundamentalibus, & Ducalibus investituris & hujus Regiminis formæ, aut ordinationi, sit contrarium, horum enim omnium æterna auto-

ritas esse & observari debebit; Salvis Conventibus extraordinariis in casu necessitatis, ex legitima causa per Principem, communicato prius cum Consiliariis consilio, celebrandis.

Si tamen Princeps ejusmodi conventum indicere recusaverit, autoritate Regiæ Majestatis is indicetur. Gravamina enim, Jura hujus Provinciæ concernentia, re cum Consiliariis primum communicata, si Conventus haberi, vel impetrari a Principe non possit, vel extra Conventum ad Regiam Majestatem deferre unicuiqve liberum erit, quorum gravaminum (si causa justa & necessaria postea deprehensa iudicataqve fuerit) deducendorum sumptus ex ærario Provinciali publico refundantur.

Liberum vero sit esseqve perpetuo debebit Dominis Consiliariis, cum a Nobilitate ad hoc requisiti fuerint, de iis, quæ Leges & Privilegia afficiunt, si forte aliqua in parte (quod absit) læsæ fuerint, præmonere Principem, ut salvas velit habeatqve libertates, Privilegia & Jura, omnium & singulorum incolarum hujus Ducatus, qua ex admonitione, nullam, qui eam interposuerint, indignationem, vel pœnam, vel contemptum, aut odium, incurrant.

In Conventibus illi tantum ad Consilia accedant, qui per leges & consvetudines admittuntur, omnibus aliis, qui jus suffragiorum non habent, penitus exclusis. Quibus autem munus hoc competit, ut de rebus communibus deliberent, mature, debitoqve tempore adsint, modestissimeqve se gerant, procul omni tumultu, armis item insolitis omnibus remotis, ordine in dicendis sententiis observato, qui a Mareschalco, quem in singulis conventibus eligent, constituetur. Sententiæ sint liberæ, sed nonnisi Directoris jussu proferendæ, vota non anticipanda, nec cuiquam præcidenda. Is vero, qui ad prius dicta nihil habet, quod addat, aliorum sententiæ non invitus subscribat.

Vasal-

Vasallagium Principis quod attinet, cum ejus quantitas & qualitas literis investituræ suæ Illustritatis, ad normam Ducum Prussiæ, determinata sit, huic ordinationi investituræ Illustritatis suæ Illustrissimum Principem Curlandiæ & Semigalliæ præsentem, & futuros Successores, stare debere, omnino censemus.

Vasallagium autem hoc, & servitia Equestria Nobilitatis, nonnisi commonitione Regni & Reipublicæ præcedente, præstabuntur, sub pœna legibus Regni, de expeditione publica, sancita, exceptis periculis repentine a quocunqve finitimo hujus Provinciæ hoste ingruentibus, quo casu lustrationes & expeditiones bellicæ, collato tamen cum Consiliariis hac de re consilio, a Principe decerni poterunt.

Servitia Nobilitatis a Principis Vasallagio sejuncta signis separatis, sub uno tamen regimine ductuqve Principis, expedientur, ad eamque æqualitatem deducantur, ut ex viginti uncis singulis, singuli Equites boni atqve idonei, quorum in prælio usus esse possit, armis, omnibusqve aliis rebus, bene instructi sistantur.

Ad quorum uncorum revisionem ab ipsa Nobilitate quatuor Nobiles, & a Principe duo ex Consiliariis, omnes ad hunc actum jurati, deputentur.

Præfecti militum servitii Nobilitatis ab ipsa Nobilitate nominentur, bini ad singulas præfecturas, ex quibus Princeps unum, quem probaverit, confirmabit atque constituet.

Ærarium provinciale publicum instituatur, & certus contributionis modus in quolibet conventu publico statuatur, in quo sanciendo pluralitas votorum concludet, cui ærario unus ex Capitaneis quatuor, duo ex Nobilitate, præficiantur.

Titulum Nobilibus convenientem, *den Edlen*, Illuſtriſſimus Princeps in literis, aliiſque diplomatibus ſuis, in poſterum tribuere ſeſe velle, ſponte ſua obtulit, modo inter eos, qui revera nobiles ſunt, & qui plebeji, conſtituto Judicio Equeſtri, quod *Ritterban* appellatur, diſcrimen fiat; Quam in rem Nobilitas cum Principe conſenſit.

Receſſus omnes, nullis exceptis, cum penitus ſublati, & ab Illuſtri Principe Friderico Nobilitati ſponte condonati, caſſatiqve ſint, nos quoqve ab examine illorum ſuperſedendum eſſe putavimus, ideoqve omnes eos receſſus tollimus & abrogamus autoritate Noſtra Commiſſoriali.

Ad Oppignorationes in Semigallia a præfato Illuſtri Principe Friderico in Curiis *Bersboff*, *Barbelen* & *Ellern*, factas, (ſiquidem Domini Conſiliarii Illuſtris Principis eas oppignorationes ex gravibus cauſis, partim perſolvendi æris alieni, temporibus belli pro defenſione Reipublicæ ab Illuſtri olim Parente Illuſtritatis ſuæ contracti, cujus ſumma ſexaginta millia florenorum excedat, partim propriorum debitorum nomine in uſus publicos contractorum, profectas, atqve Curias præſatas non magni momenti fundos eſſe, eliberationesqve non difficulter fieri poſſe, aſſererent; ideo *Nos declarationi huic illorum inhærentes redemptiones præſatarum Curiarum (niſi forte moderni poſſeſſores desuper S. R. Majeſtatis approbationem impetraverint) faciendas eſſe ſtatuimus.*

Gravamina omnia privata, tam in Semigallia, qvam Curlandia, deputatis ad hanc rem certis ex Conſiliariis Principis atque Nobilitate perſonis, aboleantur.

Cum creditoribus qvoqve Fratris Illuſtriſſimus Princeps Fridericus juxta pollicitationem, quam in compoſitione cum Nobi-

Nobilitate fecit, ſi illam partem Ducatus a Sacra Regia Majeſtate conſecutus fuerit, bonis modis componet.

Ante cætera vero omnia hoc ſancimus, ut Catholicæ Religionis, æque ac Auguſtanæ ſolius Confeſſionis, pactis primævæ ſubjectionis permiſſæ exercitium in hoc Ducatu Curlandiæ & Semigalliæ liberum ſit, ſecundum præſcriptum Romanæ ejusdemqve Univerſalis Eccleſiæ, Illuſtri Principe, Friderico, univerſaqve totius Ducatus Nobilitate, ad ſeriam poſtulationem Sacræ Regiæ Majeſtatis, eam in rem conſentientibus: Vt nimirum quilibet Nobilium in ſuis bonis hæreditariis, Sacella, Oratoria pro cultu Divino privata Templaqve ædificare, vel collapſa reſtaurare, Sacerdotesqve Catholicos ad ſe accerſere, eorum miniſterio pro ſe, familia, ſubditiſqve ſuis, citra cujusvis impedimentum, citra coactionem utriuſqve religionis, uti poſſit, abſqve tamen diminutione Juris qvoad reditus, ſive ad Patronos, ſive alios quoſcunqve, pertinentes, ita, ut ſi unus tantum ſit Patronus Eccleſiæ & iſte Catholicus fiat, Templum ſibi cum omnibus reditibus retineat, ſi autem plures Compatroni, qvorum unus Catholicam Religionem ſuſcipiat, & peculiare Templum in bonis ſuis conſtruat, nihilominus onera, qvoad conſvetas Auguſtanæ Confeſſionis penſiones, ferat. Tenebitur porro Magiſtratus Politicus ex officio, nomine liberi exercitii religionis, ſecuritatem ab omni vi, injuria, contumeliisqve cuilibet præſtare. Ad munia qvoqve publica in Ducatu hoc, Catholicis, qvi idonei fuerint, aditus pateat, ſalvis per omnia juribus, privilegiis, cautionibus, confirmationibus, Ducibus & Nobilitati Curlandicæ, qvoad exercitium Confeſſionis Auguſtanæ, uſumqve ſuarum Eccleſiarum omnium ab eis ædificatarum, vel ædificandarum, qvocunqve Magiſtratu ſuccedente, necnon admi-

nistrationis rei Ecclesiasticæ, per Serenissimos Poloniæ Reges benigne concessis.

Calendarium novum in omnibus Imperio Sacræ Regiæ Majestatis subjectis Provinciis receptum ad postulationem Nostram nomine Sacræ Regiæ Majestatis factam, Illustris qvoqve Curlandiæ & Semigalliæ Dux, Fridericus, consentiente ejusdem Nobilitate omni, recepit. Quod ut ad primam Januarii anni futuri Millesimi Sexcentesimi Decimi Octavi diem introducatur, promulgetur, constanterqve in posterum ab Illustri Principe, ejusqve in Ducatu Curlandiæ & Semigalliæ Successoribus legitimis, servetur, autoritate nostra Commissoriali constituimus.

Apostatæ aliiqve transfugæ utrimqve, tam ab Illustri Principe moderno, qvam ejus Successoribus, sine omni mora & contradictione, repetentibus extradantur & restituantur.

Novus Princeps Curlandiæ & Semigalliæ jurejurando, qvod Sacræ Regiæ Majestati atqve Reipublicæ præstabit, se qvoqve Nobilitatis universæ, omnium præterea & singulorum privatorum, libertates, privilegia, jura, immunitates, sartas atque tectas servaturum, contestabitur.

Formula Juramenti Novo Principi a Nobilitate præstandi, sit talis:

EGo N. N. Juro N. N. Curlandiæ & Semigalliæ Duci, ejusqve Successoribus investitis, *et, si horum nullus superfuerit, Serenissimo ac Potentissimo Principi, ac Domino, Domino SIGISMUNDO Tertio, Poloniæ Regi, Illiusque Successoribus Regibus, & inclyto Regno Poloniæ Magnoque Ducatui Lithvaniæ, tanquam non solum*

lum supremis ac directis, quales nunc sunt, sed etiam utilibus & immediatis tunc futuris, Dominis meis, tam uti cæteri Regni indigenæ, subditus fidelis, & subjectus esse, ejus Illustritatis commoda & emolumenta quærere & promovere, omniaqve terrarum & incolarum Illustritatis ejus, qvantum per me fieri potest, damna & incommoda præcavere, amovere, prævenire, *uti fidelem & probum subditum decet*, semper velim, qua in re nihil quidquam, quod humano ingenio excogitari poterit, me impediet. Sic me DEUS adjuvet, & Sancta CHRISTI Passio.

His ita constitutis illud postremo adjiciendum duximus, ut cum omnia, qvæ hac formula regiminis continentur, pactis primævæ subjectionis hujus Provinciæ, juribusqve aliorum Principum Vasallorum, feudali titulo Provincias in Republica Polona possidentium, atque adeo ipsi æquitati & justitiæ, sint conformia, ea deinceps sub pœna Decreti Comitialis anno superiore lati, tum & aliis Sacræ Regiæ Majestatis arbitrariis, observentur, debitæque executioni a suis Magistratibus demandentur.

Quia vero Ordo Equestris Ducatus, pro gravaminibus his abolendis, per nos ad præsens ob majorem animorum coalescentiam, non ad pœnas ullius, sed ad solam in futurum reformationem, sublatis, ad Sacram Regiam Majestatem, Dominum nostrum Clementissimum, confugerit, ne quid sibi in posterum metus, damni, aut alienationis animi Illustris moderni Principis, ejusqve Successorum, contingat, cum id nobis Sacra Regia Majestas publica fide & autoritate Commissoriali præcavendum demandare dignata sit: Proinde speciali mandato ac rescripto Sacræ Regiæ Majestatis, una & Decretis præteritorum Comitiorum in Causis Curlandicis latorum insistendo, Ejusdem

dem Sacræ Regiæ Majeſtatis autoritate & voluntate declaramus, ut nullus horum omnium, qvicunqve ſive in Conventibus particularibus, vel etiam Provincialibus hic in Ducatu, ſive in Comitiis Generalibus, gravamina præfata, dicto ſcriptoqve, tanqvam aſſertores libertatum ſuarum, proponerent, atqve tolli conati eſſent, operamqve ſuam navarent, ut munus Nunciorum Provincialium obirent, ullius indignationi, odioqve & damno ſubſit, neqve id illi a qvopiam, potiſſimum vero ſupremo hujus Ducatus Magiſtratu, vitio verti debere aut poſſe, verum liberos & immunes, ac omni ex parte tutos permanere, iisqve aditum ad qvævis officia & dignitates gratia & benevolentia Principis, ejuſqve legitimorum poſterorum, ſi idonei fuerint, patere, ut illis nulla in perpetuum eo nomine qvæſtio moveri, aut moleſtia a qvopiam, cujuſcunque ille ſtatus & præeminentiæ fuerit, inferri debeat. Inſuper omnes ex æqvo in eam curam incumbant, qvo pacatus tranqvilluſqve hujus Ducatus Status permaneat, qvi cum inſtar propugnaculi contra finitimos univerſæ Reipublicæ hoſtes ex hac parte eſſe debeat, omnes concordibus animis ſtudia ſua ad ſalutem ejus certatim & alacriter conferant. Illuſtri Principi ſuo, ac illius legitimis in Feudo Succeſſoribus, obedientiam, honoremqve exhibeant, fidei Regiæ Majeſtati & Reipublicæ Polonæ datæ memores ſint, ſi omni felicitate Patriam ſuam florere, ita ac debent, peroptant.

XII. Sta-

XII.

Statuta Curlandica, seu Jura & Leges,

ad usum judiciorum Curlandiæ & Semgalliæ, in eadem Commissione Mitaviensi,

d. 18. Martii, A. 1617.

nomine Regiæ Majestatis, præscripta:

De Potestate Publicâ deque Judiciorum Forma & Processu:

1. Judiciorum & omnium Conventuum cæterorum, quæ publice constituuntur, summa sit securitas, tam in celebratione eorundem, quam in accessu & recessu.

2. Nemo cum bombardis, aut telis lethalibus, ad Judicia accedat, excepto gladio, quo accinctus erit, nemo eas eave arma publice portet, sub pœna X. Hungaricalium, aut sub pœna turris XIV. dierum.

3. Si quis alium in accessu & recessu, vel durantibus Judiciis, occiderit, aut lethaliter vulneraverit, capite luat.

4. Delinquentes hoc pacto, sine citatione, in Conventu durante terminum habeant; Aufugientes e facto recenti proscribantur.

5. Judicia æstivo tempore a sexta matutina ad X. & pomeridianis a XII. ad quintam, durabunt.

6. Ju-

6. Judices ad officium judicandi electi principio officii sui jurabunt, qvod secundum jura & conscientiam suam, absqve ullo personarum respectu, jus dicere velint.

7. A judicando se non subducant, nisi legitimis impedimentis affecti, justoqve tempore adsint & persistant, sub pœna Hungarici, toties, qvoties contravenerint.

8. Commissarii nunqvam dabuntur a Principe, nisi id a partibus petatur, vel ex officio, ut in causa familiæ herciscundæ, communi dividundo, aut finium regundorum.

9. Forum competens, sive sit civis hujus Provinciæ, sive non sit, habeat in tribus causis: Domicilio, Contractu, & Delicto.

10. Quodsi non incola incolam hujus Provinciæ convenire, & Conventus eundem reconvenire velit, is, qvi Actoris partes suscepit, de Judicio sisti, & Judicatum solvi, cavere tenebitur, si scilicet conventionis & reconventionis causæ connexa fuerint, aut una ex altera dependeat.

11. Si qvis, sive incola, sive non incola, alterum super debito aut crimine diffamaverit, aut traduxerit, ei, qvi diffamatus fuit, liberum sit, diffamatorem ad suum forum citare atque pertrahere, sub pœna perpetui silentii, si citatus non steterit.

12. Procuratores qvatuor erunt, non plures, qui, priusqvam ad officium admittantur, a Consiliariis Principis examinentur, utrum idonei sint ad procurandum, vel non sint.

13. Admissi jurabunt, qvod citra prævaricationem & calumniam, bona fide, Clientum suorum causas agere & pertractare velint, iisqve certum salarium publico placito constituatur, quamvis cuivis extraneo, vel ordinariis, vel secum adductis, Causidicis, uti licebit.

14. Mulieres, pupilli & minorennes, ſine Curatore a Judiciis abſtineant, ſub pœna nullitatis, qvin & non petentibus Curatores ad litem ex Officio dabuntur.

15. In ſingulis Præfecturis & Judiciis, tam univerſalibus, qvam particularibus, Miniſterialis unus, vel plures, per Principem creentur, qvi ſoli citationes partibus inſinuent, iisqve in ſingula milliaria certum pretium tribuatur; Hos ſi qvis violaverit, tanqvam læſæ pacis publicæ reus, capite plectatur.

16. Citationes in curiis aut prædiis Citatorum, ubi commode tradi poterint, ponantur, non receptæ palis infigantur, & familiæ, qvod talis citatio poſita ſit, ſignificabitur.

17. Terminus IV. ſeptimanarum in Citationibus ſufficiat.

18. Actionem intentans ſi in loco Judicii poſſeſſionatus ſit, promittere, ſi non poſſeſſionatus, de expenſis, damnis & intereſſe, item qvod actionem ceptam perſeqvi & ad finem deducere, & ejus nomine reum ab omni alterius impetitione liberum præſtare, velit, cavere tenebitur.

19. Si Actor contumax ſit, neqve per ſe, aut per alium, comparuerit, reus ab inſtantia in primo termino abſolvatur, nec admittatur Actor, priusquam impenſas refuderit, niſi forſan ipſe, vel ejus mandatarii, in itinere, inundationibus aquarum, aut morbo, aut captivitate, aut læſione, aut ſimilibus caſibus, præter ſuam culpam, affecti fuerint.

20. Reus autem conventus ad probandum legitimum impedimentum in primo termino, in ſecundo, tanquam convictus & contumax, in amiſſionem cauſæ, condemnabitur, neqve audiendus erit, etiamſi in integrum ſe reſtitui, & Decretum reponi, petiverit, niſi jurejurando ſe a contumaciæ crimine intra ſex menſes liberaverit.

 21. Ex-

21. Exceptiones omnes, declinatoriæ, dilatoriæ & peremptoriæ, & primo termino proponi, & caufa plene ufque ad probationem definiri, debet, exceptis cafibus, fi inftrumenta aut documenta quædam defiderentur.

22. Exceptio fpolii omnem actionem adverfus fpoliatum a fpoliatore intentatam excludit, & intra fpatium quindecim dierum probari debet, qua probata fpoliator in principali & acceffforio damna & intereffe in folidum prius reftituere debet, quam in Judicio audiatur.

23. Actor, fi probationibus deftituatur, poterit reo juramentum fuper Actione intentata deferre, fi ipfe prius juraverit, quod non calumniandi animo ad hanc actionem proceffferit, quod Litis deciforium vocatur. Quodfi reus hoc juramentum præftare, vel Actori referre, recufaverit, pro convicto habendus eft.

24. Si communitati hoc juramentum delatum fuerit, non omnes, fed ii tantum jurabunt, qui rei notitiam inprimis habuerint.

25. Si juramentum Principali delatum fit, & is poft Sententiam moriatur, hæredes ipfius de credulitate tantum, non etiam de fcientia, jurabunt.

26. Poterunt præterea Procuratores, ad hoc peculiari mandato inftructi, in animam fui Principalis abfentis jurare.

27. Si Inftrumenta, vel teftes, in primo termino præfentes haberi non poffint, probationibus qvatuor feptimanarum terminus præfigetur, neqve id fpatium, fine magna & gravi caufa, duplicari debet.

28. Teftes fint honeftæ perfonæ, non fufpectæ, qvi a producente nominentur, ut reus adverfus eos modefte excipere

&

& eos refutare possit, qui ad testimonium dicendum, si nolint, pignoribus captis cogi debent.

29. Hi, præsentibus partibus, tam producente, quam reo, jurabunt, ac deinde remotis arbitris examinentur, & eorum depositiones non ad disputandum partibus, sed Judici, ad Sententiam ex eis ferendam, edantur.

30. Nulli testes in posterum ante Judicium ceptum, parte altera absente & ignorante, quid agatur, examinabuntur, aut eorum attestationes publicentur, nisi qui ad perpetuam rei memoriam, ætatis aut valetudinis causa, ad dicendum testimonium requisiti fuerint, quo facto eorum dicta obsignari, & non nisi ubi opus fuerit, in judicio proferri, & a solo Judice recludi cognosciqve, debent.

31. Si quis, durante lite, aut ea jam definita, ad instrumenta noviter reperta provocaverit, jurejurando contestabitur, qvod eorum instrumentorum notitiam ante hoc tempus nunqvam habuerit, neqve sua culpa potuerit habere.

32. Sententiæ declaratio si petatur, intra tres dies interponi, & statim declaratio fieri, neqve ad seqvens judicium differri, debet, qvodsi ultimo Judiciorum die fiat, tantum temporis addendum erit, quo declaratio perficiatur.

33. Appellationem interponens si in hoc Ducatu possessionatus non sit, cautionem de expensis ac damnis Appellato in hoc Ducatu idoneam præstet, aut Appellatione interposita non fruetur.

34. Arresta nonnisi in futigivis, nec possessionatis, aut eis, qui cum mercatoribus ita contraxerunt, ut confestim solverent, & absqve solutione discedere conentur, aut aliunde se huc recipientibus, si ex contractu aut delicto conveniantur, permitti

de-

debent, sub pœna arbitraria, juxta qualitatem rei & personæ, qvæ indebite est arrestata.

35. Pignorationes propter damna in agris & sylvis facta, prævia æstimatione & refusione damni, remittantur, & animalia capta sine mora restituantur; Qvodsi qvis rebus pignore captis abusus fuerit, qvæcunqve damna intulerit pignorato, arbitrio judicis, refundat.

36. Si quis Arrestum rebus aut personis imposuerit, neqve spatio qvatuor septimanarum sua negligentia persecutus fuerit, jure Arresti carebit, & Arrestato ad damna & interesse tenebitur.

37. Seqvestrationes litigiosarum possessionum rerum ac mercium admitti non debent, nisi is, qui petit, de jure suo summarie contestetur, & possessorem in re possessa male versari, doceat, quo casu sequestratio non longius, quam ad proximam juridicam, concedenda, & interim tam a possidente, quam a sequestro, ab omni injuria ac devastatione rei sequestratæ abstinendum est.

38. Qvodsi sequestrum in re suæ custodiæ mandatæ male versatum esse, & sylvas aut fundos devastasse, compertum fuerit, non modo damna, qvæ dedit, refundat, sed & præterea, custodiæ publicæ violatæ causa, pro modo vastationis, arbitraria ac gravi pœna mulctabitur.

39. Si contigerit, plures creditores concurrere unius debitoris, qvi solvendo non sit, hic ordo servari debet:

a) Primum omnibus aliis præferantur depositarii in rebus suis exstantibus.

b) Deinde venditores rerum immobilium, in qvibus expressam hypothecam, usqve ad solutionem plenariam, sibi reservarunt.

c) Postea

c) Postea mercedes famulorum,

d) Impensæ, in morbum debitoris, ex qvo decessit, & funus ipsius factæ, præstentur.

e) Si qvæ cohæredibus suis, ante æs alienum contractum, ex familia hercifcunda eum debere, constiterit.

f) Vxor dotem vel dotalitium, qvod eo nomine ei constitutum est, repetens, modo non sint creditores, anteriorem expressam hypothecam habentes.

g) Habens publicam hypothecam & judicialem præferendus est habenti privatam antiqviorem: In reliqvis vero privatam habentibus, qvi prior est tempore, potior in jure dicendus erit.

h) Si debitor solvendo non est, nec tantum reperiatur in bonis ipsius, ut omnibus creditoribus, sive hypothecariis, sive chirographariis, satisfieri possit, usurarum ratio nulla habenda est, qvod ubiqve potius Jus sit eorum, qvi de damno vitando certant, qvam horum, qvi de lucro captando contendunt.

i) Deniqve chirographarii, qvibus æqvaliter pro rata satisfaciendum est, ut dimidia, aut tertia, aut qvarta, pars debiti unicuiqve tribuatur.

40. Si contigerit, inter hos qvenqvam, anteqvam debitoris bona Judicis interdicto tenerentur, qvod suum erat consecutum esse, id reliqvis non communicandum, neqve etiam ab hypothecariis repetendum, erit, nisi hypothecæ rerum immobilium fuerint, qvod jura omnia vigilantibus, & non dormientibus, opitulentur.

For-

Forma Executionis, tam in Civilibus, quam Criminalibus, sit talis:

41. In actionibus personalibus, si solutio, aut satisfactio, alicui injuncta sit, nisi spatio mensis proxime seqventis satisfecerit debitor, in duplum, si nec intra alterum mensem paruerit, aut sententiæ steterit, in triplum, mulctabitur, si nec intra tertium, banno feriatur, triginta diebus in singulos menses, a die sententiæ latæ, computatis; qvi dies ab hoc computato excludetur, & licitum erit parti vincenti, Judicis officio implorato, ejus possessiones ingredi, & sibi pro debitis vadiis & impensis satisfacere ad extremum qvadrantem.

42. In realibus, nisi intra mensem is, qvi succubuit sententiæ, paruerit, Judex vincentem in bona victi intromittat, damnaqve & impensas omnes ex bonis victi refundi faciat.

43. Electio erit victoris, qvænam bona mobilia, aut, iis deficientibus, immobilia, apprehendere velit, unde sibi satisfieri faciat.

44. Qvi autem in ære non habet, & rem suam petulanter decoxit, in corpore luat & sessione turris puniatur.

45. Instrumenta liqvida & guarentigiata, qvæ in Judicio facta sunt, ut sunt oppignorationes rerum immobilium, aut debita coram Judicio contracta, prævia una monitione debitoris, paratam executionem merebuntur.

46. In criminalibus, si reus post sententiam profugerit, tanquam convictus & confessus, a tempore susceptæ fugæ, pro bannito & proscripto, æstimabitur, & tam ipse, qvam bona ipsius, ab omnibus promiscue, impune & licite, offendi poterunt.

47. Exe-

47. Executioni violenter resistentes, sive sint Principales, sive socii, sive complices, sive ministri, sive alii qvicunqve, capite plectantur.

48. Nemo autem a proscriptione per Principem absolvatur, absque consensu partis jure vincentis & læsæ, eorumqve omnium, qvorum interest, proscriptum a proscriptione non liberari.

49. Nemo proscriptos, aut bannitos, hospitio excipiat, nemo victum vel amictum, vel res alias necessarias, eis suppeditet, sub simili pœna, qva ipsi banniti afficiuntur.

De Potestate Privata & Contractibus:

50. Prima Potestas privata est Dominorum in homines proprios, sive rusticos.

51. Homines proprii sunt, qvi in agris Nobilitatis ex hominibus propriis maribus concepti nascuntur, utcunqve ex matre nascantur libera.

52. Si tales homines mares, sine voluntate Domini sui, ad alios transfugerint, cum omni re sua familiari, qvam secum avexerunt, & cum liberis post fugam natis, & cum omni incremento rerum suarum, reddi debebunt.

53. Adversus tales fugitivos, sive mares, sive fœminas, nullus sit præscriptioni locus; Homo enim proprius, in pleno jure Domini sui constitutus, si fugitivus fiat, perinde ut liber homo, gentium jure, nullo tempore præscribi debet.

54. Qvodsi homo, vel homines tales fugitivi, invicem repetantur, nec confestim restituantur, judex cujusqve loci competens, fugitivos, sub pœna qvadringentorum florenorum,

Dominis ſuis a Detentoribus reddi, præcipiet & efficiet, ſub pœna qvinqvaginta Hungaricalium adverſus judicem negligentem ſtatuenda.

55. Sin autem poſt tempus repetitionis & reſtitutionis non ſecutæ homo, vel homines fugitivi, ſeſe inde qvoqve, unde repetuntur, ſubduxerint, priusqvam reverſi & reſtituti fuerint, Dominus, a qvo repetiti fuerunt, vero Domino fugitivorum omnia damna ac decrementa, arbitrio judicis, refundat.

56. Si e fœminis qvædam, relicto territorio Dominorum ſuorum, nuptiarum cauſa alio ſe contulerint, repetitio ceſſabit.

57. Nullus horum propriorum hominum filios ſuos, ſive pro literis diſcendis, ſive pro officio exercendo, ſine licentia Domini ſui, peregre mandabit.

58. Si contigerit, hominem unius delinqvere in hominem alterius Domini, atqve is de ſuo homine conqveratur, mulcta non erit Domini, ſed ejus, qvi ab altero homine fuerit læſus.

59. Si vidua unius Domini nupſerit viro alterius, ipſa quidem novi mariti forum ac Dominium ſeqvitur, ſed liberos omnemqve rem familiarem vero Domino relinqvat, dote tamen ſua arbitritio Domini ſecum accepta.

60. Si res plures avexerit, qvam qvæ debentur, tam ipſa, qvam vectores & opitulatores, pœna furti puniantur.

61. Licitum unicuique erit, fugitivum ſuum in alterius territorio deprehenſum prehendere, ibidemqve Domini alterius territorii ſiſtere ad repetendum. Invito autem ejus territorii Domino eum abducere non debet, ſub amiſſione juris ſibi in fugitivum competentis, excepto caſu, ſi qvis fugitivum ſuum in continenti, hoc eſt ſpatio XXIV. horarum, inſeqvatur,

tunc

tunc enim fugitivum ſuum in fuga deprehenſum etiam ex alterius territorio domum reducere impune poterit.

62. Nemo qvemqvam ex hominibus propriis pœna mortis afficiat, ſive judicio hoc nomine conſtituto, ſub pœna centum florenorum.

63. Poteſt qvilibet Dominorum hominibus ſuis propriis ſub ſe conſtitutis peculiares leges ſtatuere, jure tamen publico ſalvo.

Proxima eſt Patria Poteſtas in Liberos:

64. Liberi igitur ob patriam poteſtatem, in qva conſtituti ſunt, ſine conſenſu parentum matrimonia non inibunt, ſub pœna exhæredationis, ſi nimirum parentes juſtam contradicendi cauſam præ ſe tulerint.

65. Si qvis vir cum duabus ſimul, aut qvæ fœmina cum duobus, uno tempore ſponſalia de præſenti contraxerit, & prioribus neglectis poſterioris thorum & concubitum ſecutus ſecutave fuerit, infamis eſto.

Sequitur Poteſtas Tutelaris:

66. Pupilli uſqve ad annum vigeſimum primum, furioſi autem in perpetua tutela, donec morbus perſtiterit, eſſe debent.

67. Horum Tutores, ſi teſtamento parentum nulli dati ſunt, agnati proximi erunt, una cum matre, qvamdiu ad ſecunda vota non tranſierit, ac niſi vel iſti, vel hæc ſuſpecta fuerit, qvo caſu Princeps pupillis Tutores conſtituet.

68. A Principe dati, rem pupillorum per omnia ſalvam fore, promittere tenentur.

69. Sine autoritate Tutorum pupilli nihil vel in Judicio, vel extra illud, ſtatuere debent, vel poſſunt, qvod ad detrimentum ipſorum ſpectet, ſecus qvod ad commodum & incrementum.

70. Tutor emere volens res immobiles pupilli, aut alio modo cum contutoribus contrahere, nonniſi re a Principe bene excuſſa, id facere poterit.

71. Qvi in contrahendo minorem viginti uno anno circumvenerit, ex eo contractu non modo nihil utilitatis percipiet, ſed etiam, pro ratione fraudis, arbitrariis pœnis affici debet.

72. Tutores res pupillorum ſuorum, qvæ ſervando ſervari non poſſunt, diſtrahere, & qvotannis rationes ſuas conferre, tenebuntur.

73. Omnes tutores de rebus adminiſtratis in ſolidum tenentur, niſi male adminiſtrantem ſuſpectum fecerint, & fidem ſuam liberaverint.

74. Suſpecti maleqve verſantes in rebus pupillorum, etſi ad ſatisdationem ſeſe obtulerint, officio tamen privandi ſunt.

75. Tutorum bona a tempore, qvo adminiſtrationem acceperunt, ipſo jure pignoris nexu adminiſtratæ tutelæ cauſa obligata ſunt, ex qvibus pupilli, in concurſu creditorum, qvod ſuum erit, conſeqvi debent.

76. In poteſtate etiam ſua, non in Dominio alicujus, ſunt res, qvæ cuivis qvocunqve modo ſerviant, veluti ex qvibus uſusfructus debetur.

77. Vſuſructuarius igitur cavere debet, ſe boni viri arbitratu re uſufructuaria uſurum, ſine detrimento Domini directi, ita

ita prorſus, ut neqve Domino, neqve etiam rebus ipſis, qvidqvam decedat, ſub pœna damni, qvodcunqve inde emerſerit, penſandi.

78. Si uſufructuarius ædificium, qvod in alieno fundo, ex qvo uſumfructum percepit, extruxit, finito uſufructu tollere nec ipſe, nec hæredes ejus, debent, niſi talem proteſtationem a principio fecerit, ut tollere hoc ei liceret.

79. Cui uſus certus alicujus rei, aut habitio relicta eſt, extra modum præſcriptum re uſuaria abutens, ad damni reſtitutionem tenebitur.

80. Cui iter, actus aut via, per agrum alterius conceſſa eſt, ita omnibus utatur, ne ſegetibus, aut pratis, damna inferat, ſub pœna refuſionis damnorum.

81. Via, qvæ publica ſemper fuit, arbitrio privatorum alio transferri, aut immutari, non debet, ſub pœna centum thalerorum, & mutationis, ſi qvæ facta fuerit, in priſtinum ſtatum reducendæ.

82. Piſcari in mari retiaqve ſua exponere, & merces ſuas ad littus appellentibus nautis vendere, in qvolibet littore unicuiqve liberum erit, cujus prædia ad littus maris pertingunt.

83. Cui piſcatio, aut lignatio, in alieno ſtagno, aut ſylvis, debetur, ea non abuti debet, ſub pœnis Capitaneorum arbitrariis in abutentem ſtatuendis.

84. Qvibus jus apiarii vel alvearii in alieno ſolo aut ſylvis competit, mella qvidem capere, ſed arbores deſtruere non debent, ſub pœna decem thalerorum, & ejus juris, qvod in cæteris arboribus ejus, vel fundi, vel ſylvæ, habuit, amiſſione: Mella autem juſto tempore, præſente Domino ſylvæ, eximere, eiqve vendere, tenebitur, unumqvodqve pondo, qvod Lieſs-

pfund

pfund vocant, pro tribus marcis Rigenſibus; In arbitrio qvoqve Dominorum erit, arbores melliferas redimere, ſi ei, cui ſervitus debetur, eam permittere nolit.

85. Stagna libera & communia ad piſcandum conſtringi non debent a qvoqvam, qvominus eorum piſcationi incumbere unicuiqve liceat, qvalia ſunt Durbenſe, Vilgalenſe, Angarenſe, Oſmaitenſe, Libavienſe, Degerhoffedenſe, qvorum ſtagnorum effluxus neqve molendinis, neqve aliis obſtaculis, præpediri debent, qvominus piſcibus acceſſus & receſſus liberrimus permittatur.

86. Donationes omnes, etſi licitæ ſint, tamen cum qvædam ſapiant prodigalitatem & ſuſpicionem, qvod fraudibus & blanditiis extortæ magis, qvam ex amore impetratæ ſint, idcirco excedentes ſummam 500. floren. Poloniæ nonniſi publica inſinuatione judiciali præcedente permitti, aut a ſucceſſoribus donationis agnoſci, ſi nolint, debent, qvin & ipſe donator, niſi præceſſerit inſinuatio, pœnitendi & repetendi donationem, facultatem habebit.

87. Donationes, vel ab his factæ, qvi liberos non habebant, vel ſatis opulenti erant, cum donarent, liberorum partu, aut calamitate aliqva ſuperveniente, reſtitui debent.

88. Qvin & ob ingratitudinem donatarii, donatorem contumelia afficientis, aut deſerentis in periculis conſtitutum, revocari debet donatio.

89. Servit præterea qvibusdam pecunia, qvæ ex mutuo ad eos pervenit, etiam dominio ipſius pecuniæ ad eos translato, itaque bona fide mutuum reddatur, ut a tempore moræ, qvo redditum non fuit, mutuum loco damni emergentis & lucri ceſſantis pœnarum in contractu appoſitarum actio creditori detur.

90. Si

90. Si ſpecies certæ acceptæ & in ſtipulationem deductæ ſint, ut eædem reſtituantur, ſervanda erit lex contractus, etiamſi æſtimatio ſpecierum creverit; Si autem hoc in ſtipulationem deductum non fuerit, creditor conventus eſſe debet, ſi æſtimationem ſpecierum ejus temporis fuerit nactus, qvo mutuum numeravit.

91. Non tamen cuprum, aut æs, vel aliam monetam, pro argento & auro creditor accipere tenebitur a debitore, ſed monetam probam in Regno probatam & receptam, & qvæ mutuo commercio, ſine damno accipientis, exponi poſſit, non vero vilem aut viliſſimam.

92. Rebus alienis qvocunqve modo ad ſerviendum commodatis, ſive qvis aliter, qvam bona fide, utatur, quod eas invito Domino ultra legem commodati graviter attrectet, veſtimenta nobiliora, ſuppellectilem, eqvos, & ſimiles res pretioſas, diſtrahens vel dividens, furti crimen committit, itaqve reſtituere non modo res commodatas integras & pretium eorum refundere, ſed & propter magnum abuſum, arbitrio Judicis, mulctari debet.

93. Res depoſitæ, ſi citra depoſitarii culpam, furto, incendio, ruina, aut ſimili fato, interierint, extra noxam erit depoſitarius, ſi eam, qvam ſuis rebus impendere ſolitus eſt, diligentiam adhibuerit, qvodſi autem rem depoſitam apprehenderit, inqve ſuos uſus converterit, furti tenebitur, actione civili, ad pœnam arbitrariam, & ad hoc, qvod interfuiſſe conſtiterit deponenti, rem depoſitam relictam fuiſſe intactam.

94 Pignus, ſive judiciale, ſive conventionale, fuerit, ſi citra culpam creditoris interierit, damnum debitor agnoſcere, & nihilominus debitum creditori refundere, tenebitur, ſecus erit,

erit, si culpa creditoris pignus vel deterius redditum, vel destructum sit, qvo casu pignoris & crediti compensatio instituenda est.

95. Res aliena sine consensu Domini pignori dari non potest, quod semper vero Domino repetitio concedatur.

96. Si debitor constituto tempore debitum non solvat, creditor pignus non privatim distrahere, sed autoritate Judicis æstimationem imponere, atqve vel retinere in solutionem, vel vendere, poterit.

97. Conventio talis, ut certo tempore pecunia non soluta pignus in commissum cadat creditori, admitti non debet, nisi pignus æstimatum creditori datum fuerit.

98. Emere & vendere omnes promiscue possunt, qvi liberam, non definitam adstrictamqve, rerum suarum facultatem habent, venditio rerum immobilium earundemqve oppignoratio nonnisi in Judicio fieri, & libris publicis inscribi, debet.

99. Si rem unam duobus vendi contigerit, is, cui traditio facta fuit, alteri erit præferendus; Venditor tamen emptori, cui rem venditam tradere non poterit, ad interesse contractus non impleti tenebitur.

100 Venditor rei venditæ defectus omnes bona fide patefacere nihilqve eorum omnium celare debet, qvæ si emptor ab initio agnovisset, rem emere nunqvam attentasset.

101. Qvodsi venditor vitiorum qvidqvam celaverit emptorem, rem venditam recipiet & pretium restituet.

102. Si qvis fraude venditoris ad rem aliqvam magnam, qvingentorum florenorum pretium excedentem, emendam inductus, ultra dimidium justi pretii deceptus fuerit, propter in-

ingentem deceptionem contractus ad æqualitatem, & pretium ad id, qvod justum & æqvabile judici videbitur, reducendus, aut si id facere venditor recusaverit, emptio & venditio rescindenda erit, eatenus tamen, ut hæc læsio intra annum & diem in judicium deducatur.

103. Maritus bona immobilia uxoris, aut pater prædia bonaqve materna liberorum suorum, vendere alienareve non potest.

104. Res qvoqve furtivæ, aut vi raptæ, vendi non possunt, qvominus a veris dominis qvovis tempore repetantur.

105. Homines ignobiles & peregrini, pro indigenis non recepti, Nobilium bona emere & possidere non debent, sub amissione bonorum.

106. Res aliena pecunia emptæ emptoris fiunt, non ejus, cujus pecunia comparatæ sunt, cui non pignori qvidem sunt obligatæ, nisi ita inter creditorem & debitorem conventum fuerit.

107. Mercatores, extra forum publicum in familiis rusticorum æs corradentes, mercibus & rebus omniqve substantia, quam secum ferunt, priventur.

108. Ejus, qvi domum aut prædium conduxit, res universæ, qvas intulit in prædium, vel domum conductam, locatori tam pensionis, vel census cessantis, qvam damni emergentis, nomine sunt obligatæ.

109. Conductor autem, aut quivis alius, arans ac seminans fundum alienum non conductum, si juraverit, se id ex ignorantia fecisse, impune id feret, & fructus dimidios suos faciet; si sciens, fructibus non modo carebit, sed & arbitrarie, pro qvantitate fundi, punietur.

110. Rustici agros suos, vel fundos ac prata, sine scitu Dominorum suorum, rusticis vicinis vel aliis permittere vel elocare non debent, sub pœna amissionis fructuum.

111. Emphiteusis jure locari possunt Nobilitatis prædia, perpetuo fruenda, ut, quamdiu pensio præstetur, conductor ejusve hæres, aut qvi ab his causam habet, expelli nullo modo possit.

112. Qvi locationi non stetit, damna omnia conductori refundat, etsi nec pretium locatum nec conventio servata fuerit, reditus unius anni conductori cedent.

113. Conductor legem contractui dictam non servans, & pretium annuum non præstans, a contractu cadat.

114. Si domus incendio, citra culpam conductoris, combusta fuerit, damnum ad dominum, non ad conductorem, spectabit, secus, si ejus, aut familiæ ipsius, culpa sit factum.

115. Sterilitas prædiorum unius anni cum fertilitate seqventium annorum pensabitur; qvodsi vero militum devastationibus, aut tempestatibus, res omnes ad eum plane modum deperditæ aut consumptæ fuerint, ut nulla utilitas ad conductorem pervenerit, judicis arbitrio pretium locationis moderandum erit.

116. Opifices, Coriarii, Fullones, Aurifices & cæteri omnes, res ad parandum aut conficiendum commissas integras reddere tenebuntur, exceptis casibus fortuitis, qvi humana industria præcaveri non possunt.

117. Certum qvoqve molitoribus pretium constitui debet, ultra qvod si qvocunqve prætextu, sive munerum, sive largitionum, aliqvid extortum aut receptum fuerit, molitores ejus, qvod acceperint, qvadruplum restituere tenebuntur.

118. So-

118. Societatem prædiorum, mercimoniorum, aut rerum aliarum, invicem colentes ad omnia tenebuntur, qvæcunqve ministri illorum communes in illa societate ipsorum nomine contraxerunt, respectu societatis ejus, non autem extra eam. Itaqve omnia lucra non minus, qvam emolumenta, inter eos erunt communia, nisi aliud a principio fuerit constitutum. Coire societatem possunt, ut unus lucri duas partes, damni tertiam ferat, alter duas damni, lucri vero tertiam, qvod unius opera pretiosior esse possit alterius; Pactum de solo lucro capiendo, nec damno portando, reprobabitur.

119. Qvi mandatum alicujus rei perficiendæ in se recepit, aut mature, cum scilicet res adhuc integra erit, renunciare, vel mandatum implere, vel damna non observati contractus præstare, tenebitur.

120. Qvi absentis negotia sine mandato gerenda suscepit, non modo eam diligentiam, qvam in rebus suis præstare consvevit, sed & qvam diligentissimus qvisqve usurpare solitus fuit, præstare debet, propterea, qvod ea, qvæ intermittere potuisset, absqve mandato sua sponte suscepit, & se ad exactissimam diligentiam obstrinxit.

121. In contractibus qvidem, qvibus nomen certum datum non est, qvales sunt, do ut des, facio ut facias, facio ut des, do ut facias, & similes, actio in factum juxta præscriptum verborum utrinqve danda erit, a qvibus contractibus re integra resilire utriqve parti licebit.

122. Pacta ac transactiones omnes, modo non sint turpes & illicitæ, aut fraudulentæ, vel dolo, vi, metuve extortæ, per omnia serventur, ex qvibus etiam nudis promissionibus & pactis adversus violatorem pactorum & promissionum actio &

exceptio dari debet ad id, qvod interest, pactis non servatis satisfactum fuisse.

123. Pactum aut promissum, etiam juratum latronibus factum, cum jure divino, qvo latrocinia vetantur, sit contrarium, ipso jure nullum est, ideoqve servandum non erit.

124. Qvi fidem in contractibus pro alio interposuit, tamdiu ipse & hæredes ipsius obligati erunt, qvoad contractibus per omnia sit satisfactum, nisi forsan ad certum tempus fidejusserit, & creditor elapso tempore debitori solutionem distulerit.

125. Excuti tamen prius debitores debent, qvam ad fidejussores deveniatur, nisi huic beneficio renunciaverint, aut debitor adeo sit potens, ut a creditore excuti non possit, qvo casu fidejussores non immerito confestim, sine compellatione Principalis, conveniendi sunt.

126. Habent divisionis beneficium plures fidejussores, nisi ei sit renuntiatum, qvo casu singuli, hæredesqve eorum, in solidum tenebuntur.

127. Si creditor ab uno fidejussorum ratam suam acceperit, nec protestatus fuerit, qvod hac particulari receptione obligationem dissolvere nolit, ei ad eundem fidejussorem de residuo recursus postea non dabitur.

128. Fidejussoribus actio adversus principalem debitorem dari non debet, anteqvam ipsi vel solutionem fecerint, vel ad eam faciendam in judicio condemnati fuerint.

129. Nautis pro transportatione & transvectione hominum, equorum & mercium, certum pretium, autoritate Capitaneorum singulorum locorum, constitui debet, ne prætextu hujus pretii nautici, vectigalium onera obtrudantur.

130. Pon-

130. Pontes & viæ publicæ ubiqve reficiantur a Dominis fundorum, ſub pœna qvinqvaginta florenorum, toties, qvoties huic legi ſtatum non fuerit.

131. Vicini, qvorum prædia ſunt contigua, ſingulis bienniis terminos agrorum ſuorum conjunctim inſpicere, & collapſos renovare, tenebuntur, ſub pœna XX. Hungaricalium toties, qvoties fuerit contraventum.

Sequuntur Exceptiones, quibus Obligationes perimuntur:

132. Tolluntur actiones & obligationes ſolutionibus, ſi revera præſtentur, non ſi pecunia offeratur tantum, qvare qvi ſolvere paratus eſt, pecuniam obſignare & deponere in judicio ac re ipſa conteſtari debet, qvantopere cupidus ſit fidei ſuæ ſervandæ, qvo pacto pecuniam deponens ab omni damno, & eo, qvod intereſt creditoris, ſe immunem præſtabit.

133. Aliud pro alio, merces nempe aut frumentum pro pecunia creditori obtrudi non poteſt, niſi tanta ſit inopia debitoris, ut pecunia deſtituatur, id qvod jurejurando comprobandum eſt.

134. Qvodſi talis qvoqve novatio interceſſerit, qva vetus obligatio tollatur, actio prior extincta cenſetur, ſecus, ſi nuda qvædam pacta inter creditorem & debitores facta ſint, prior autem obligatio per expreſſum ſublata non fuerit.

135. Acceptilatione ejus, qvod debebatur, tanqvam imaginaria ſolutione, obligationes perimuntur.

136. Debitum qvoqve liquidi compenſatione tollitur, ejus autem,

autem, de qvo nondum liquet, qvid qvantumqve debeatur, compenſatio admittenda non eſt.

137. Delegare qvoqve poſſumus, hoc eſt noſtro nomine alium reum dare creditori, ut obligatio tollatur.

138. Confuſio obligationum & jurium fit, qvando eadem ſit perſona creditoris & debitoris, cum nimirum creditor defuncto debitori hæres exſtitit.

139. Qvodſi etiam dolo, aut metu, ad contrahendum inducti ſumus, qvodcunqve inde geſtum profectumqve eſt, judex ratum non habebit, modo revera dolus, vis item & metus talis, interceſſerit, qvi in conſtantem qvoqve virum cadere poſſit, idqve partim arbitrio judicis, ex rerum circumſtantiis rem perpendentis, aut conſcientia metum ac vim paſſi, comprobandum erit.

140. Si pecunia qvoque promiſſa, nec numerata, fuerit a creditore, omnis repetitio ceſſat, qvæ exceptio intra annum eſt opponenda, ſi modo opponi poterit.

141. Similiter & pactum de non petendo ſimpliciter, aut de non petendo ad tempus, obligationem aut perimit, aut ſuſpendit.

142. Qvi re, tempore, loco & cauſa, plus petierit, qvam eum petere oportebat, ejus, qvod petiit, dimidio privandus, & nihilominus tempus, locus & cauſa, uniuſcujusqve rei erunt ſervanda.

143. Scutum adverſus omnem actionem & obligationem longe firmiſſimum eſt res judicata, item tranſactio & jusjurandum, qvibus omnis obligatio penitus tolli & extingvi cenſetur.

144. Nec maritus pro uxore, nec pater pro filio, nec frater

ter pro fratre, nec uxor pro marito, nec filius pro patre tenebitur, nisi in communione bonorum versentur, aut alter alterius hæreditatem adierit.

145. Sex mensium præscriptione verbales injuriæ, scriptæ vero annali spatio, tolluntur, tempore a scientiæ initio computato.

146. Verbalis item fidejussio, qvæ in scriptis redacta non est, anno expirat.

147. Res immobiles inter præsentes sexennio, inter absentes duodecim annis, præscribuntur.

148. Rem vitiosam emens intra sex dies eam judicis definitioni redhibere, vel retinere, tenebitur.

149. Actiones omnes civiles qvinqvennio tolluntur, intra qvod spatium, nisi qvis instrumentis & obligationibus, alioqve jure suo, usus fuerit, ab omni actione cadet.

150. Criminales sexennio tolluntur, excepto crimine læsæ Majestatis & perduellionis.

151. Præscriptio autem non currit contra pupillos & furiosos, item contra agere non valentes, qvin & belli qvoqve tempore cessat.

152. Neqve bona dotalitia uxoris, neqve pignori data, aut cum pacto reluendi vendita, neqve fines certis limitibus ac literis determinati ac circumscripti ab usurpatore alienorum limitum & litigiosarum possessionum præscribuntur, qvod malæ fidei possessor, rem alienam ad se non pertinentem usurpans, nullo tempore præscribat, nec etiam fructus perceptos suos faciat.

153. Qvæ

153. Qvæ autem tanto tempore, cujus memoria non extat, possessa sunt, omni vitio prorsus carere, & possessoribus relinqvi, aut ablata tanqvam dominis restitui, debebunt.

154. Præscriptio interrumpitur, si possessio sit litigiosa, ac si possessor de mala fide, & qvod injuste possideat, compellatus fuerit.

155. Executio rei judicatæ nisi intra annum petatur, non petens jus suum perdit.

156. Rationibus semel explicatis ac receptis intra biennium calculi exceptio opponi debebit, nisi fraus aliqva emerserit, de qva qvi calculum fecerunt, eo tempore, neqve in præfato biennio, notitiam habuerint, idqve jurejurando comprobandum est.

De Restitutione in integrum:

157. Adversus omnes omnium contractuum & conventionum læsiones, ex justis gravibusqve causis in integrum restitutio omnibus eam intra annum petentibus danda est, exceptis pupillis & minoribus, qvibus triennium dari debet, postqvam ad ætatem juvenilem, vigesimum primum ætatis annum, pervenerint, & intra annum ætatis vigesimum qvartum restitutionem petere possunt.

158. Fidejussori minorennis restitutio nihil prodest, nisi æqve fidejussor ac minor dolo circumventus ac deceptus fuerit, qvo casu non modo minori, sed & fidejussori, subveniendum est, etiamsi contractus jurejurando sit comprobatus.

159. Jusjurandum enim ad ea tantum se extendit, de qvibus tam minor, qvam fidejussor, tunc, cum contraherent, ve-

rifimiliter cogitarunt, non ad dolum, qvo funt circumventi, & ad contrahendum & jurandum inducti.

160. Non fuccurritur minori viginti annis in delictis dolo commiffis, modo fit fedecim annis major.

De Succeffionibus :

161. Defertur hæreditas vel ex Teftamento, vel ab inteftato.

162. Teftamentum patris inter liberos conditum & manu patris integre fcriptum fervandum erit.

163. Si integre fcriptum non fit, fed manu fua ac duorum teftium fubfcriptum & fubfignatum, æqve ratum erit.

164. Teftamenta omnia pro legitimis habenda funt, fi a duobus teftibus fubfcripta fuerint, five nuncipativa fint, & a teftatore fanæ mentis dictata, aut probata, five fcripta fuerint.

165. Teftamenta actis publicis caftrenfibus infinuata a teftatore, etiam fine teftibus, pro firmis funt habenda.

166. Fœminæ honeftæ in teftamentis idoneæ funt teftes, fi præter eas alii non adfuerunt.

167. Si vitium obreptionis, aut perfvafionis, aut fimile qvidqvam, teftamento objicietur, id teftium jurejurando relevabitur.

168. Pater fine gravi & jufta caufa, qvæ arbitrio judicis definietur, filios & filias in fuo teftamento præterire, aut expreffe exhæredare, non poteft, falva qværela inofficiofi teftamenti coram judice competente inftituenda.

169. Nec jus primogenituræ in bonis primogenito adime-

re, & in ſecundo aut tertio genitos transferre, poterit, niſi ex gravi & juſta cauſa infirmitatis, vel magni defectus, primogeniti.

170. Nec ita qvis teſtari poteſt, ut juri publico in ſuo teſtamento præjudicet, qvare & bona, filiis ex lege publica debita, ad filias transferre non debet.

171. Si pater teſtamento filiabus certam portionem aſſignaverit, ea contentæ eſſe debent, ac licebit patri filiis duplam, filiabus vero ſimplam, aſſignare.

172. Liberi qvoqve, ſi ſine liberis deceſſerint, teſtamento ſuo parentes ſuos excludere non poſſunt, ſed dimidiam partem illis, fratribus vero & ſororibus, vel nepotibus ex illis, alteram ſemiſſem, relinqvere tenebuntur.

173. Qvodſi vero nec fratres, nec ſorores, aut horum harumqve liberos, reliqverint, parentibus omnia permittere debent, ſolis legatis ad pias cauſas exceptis, qvæ tamen legata ſemiſſem hæreditatis excedere non oportet.

174. Minores annis viginti, fatui, banniti, item & proſcripti, teſtamenta condere non poſſunt.

175. Si peregrinus non incola in hoc Ducatu teſtamentum condiderit, teſtamentum juxta ritum hujus provinciæ conditum ratum erit, ac ſi de ſucceſſione ejus in hoc Ducatu lis mota fuerit, ea ſecundum morem & leges hujus provinciæ determinetur, niſi bona immobilia, alibi extra hunc Ducatum ſita, aliis legibus & moribus ſubjecta fuerint.

176. Ab inteſtato primus locus in ſucceſſione eſt deſcendentium in infinitum, inter qvos fratres & ſorores in capita, fratrum autem & ſororum liberi, cum patruis & materteris concurrentes, in ſtirpes ſuccedunt.

177. Lege

177. Lege publica filii filiabus, mares fœminis, ſunt præferendi in ſucceſſione, nimirum ut fratres, unus ſive plures, tres partes cupiant totius hæreditatis, ſorores qvartam, ac tripla ſit portio fratrum ſingulorum, ſingularumve ſororum ſimpla.

178. Qvæ diviſio hæreditatis, ſi inter fratres & ſorores non convenerit, a proximis agnatis res definiri eorumqve judicio ſtari debet.

179. Curiæ autem in eam diviſionem non computabuntur, ſed primogenito cedent, qvi & ipſe bona immobilia retinere & fratribus ac ſororibus de ſuis portionibus ſatisfacere debet.

180. Qvamdiu autem ſatisfacere non poterit, tam fratribus, qvam ſororibus, jus retentionis in bonis paternis, vel maternis, integrum erit, & alimenta in fratres & ſorores facta conferri non debent.

181. Liberi diverſi matrimonii bona ſua materna percipient, fratribus & ſororibus germanis tantum, non uterinis, excluſis.

182. Pater ad ſecunda vota tranſiens, fortunas ſuas omnes cum liberis primi matrimonii ex æqvo dividere, ac pro ejus portione, qvam vel retinere, vel in emolumenta liberorum exponere, poteſt, fructibus eos alere ac elocare tenebitur.

183. Patre defuncto liberi primi matrimonii qvod in dotem atqve mundum muliebrem a patre ipſis datum fuerit conferre, & poſt hanc collationem factam in paterna hæreditate, ex æqvo cum liberis ſecundi matrimonii, ſuccedere debent.

184. Niſi pater mundum muliebrem eis condonaverit, tum nihil conferre teneantur.

185. Per adoptionem licet nobilibus familiis jus conjunctæ manus facere, vel cum agnatis cognatisve, vel etiam cum aliis,

qvo jure, si in successionibus fæmellæ excludantur, is, qui eo jure succedere vellet, tres totius hæreditatis partes fæmellis dabit, unam ipse tantum sibi retinebit, e. g. Si bona æstimentur qvatuor millibus, fæmellæ tria millia capiant, successor mille, nec prius cedere bonis, aut alimentorum sumptus agnoscere, tenebuntur exclusæ, qvam ipsis per omnia satisfactum fuerit.

186. Habentes cum aliis jus conjunctæ manus sine voluntate eorum, qvibus is nexus debetur, bona ære alieno onerare non debent; Si enim sine liberis decesserint, & bona ad conjunctæ manus socios pervenerint, debita, qvæ sine scitu & sine consensu eorum contracta fuerint, persolvere non tenebuntur.

187. Jus qvoqve protimiseos debetur iis, qvibus jus conjunctæ manus competit, si scilicet intra annum a die scientiæ retractum instituerint, & pretium, qvod alius revera numeravit, refuderint.

188. Jus repræsentationis inter collatores ultra fratrum filios, aut filias, non servabitur, qvin & nepotes ex fratre cum patruis ad successionem defuncti in stirpes admittentur.

189. Defuncto marito pacta dotalitia ante omnia servanda erunt, modo juri publico non sint contraria, nec derogent his, qvæ lege publica successoribus debentur.

190. Qvodsi talia pacta non exstent, vidua exstantibus liberis, si dotem intulerit, vel eam repetere, vel dotalitium, cujus fructus in duplum æqvent, reditus dotis sibi vendicare poterit.

191. Si dotem non intulerit, capere liberorum partem ex hæreditate mariti poterit, eam scilicet, qvæ filiabus debetur, non qvæ filiis.

192. Si

192. Si maritus uxori in testamento dotalitium, aut legatum, fecerit, servandum erit.

193. Erit præterea in arbitrio uxoris, vel dotem illatam, vel dotalitium, capere, vel portionem filiarum sibi sumere.

194. Ex pecunia parata, qvæ post obitum defuncti in ædibus ipsius deprehenditur, vidua capiet partem decimam, pecora autem & utensilia omnia ex æqvo cum filiis, vel hæredibus aliis, dividet.

195. Præterea ejus anni, in qvo maritus decessit, omnes fructus capiat uxor, ita tamen, ut unius anni tantum reditus ei cedant, non plures.

196. Si liberi non extent, & vir vel uxor alteri superstes fuerit, superstes concurrens cum agnatis defuncti, dimidiam partem sibi retinebit, & alteram propinquis defunctæ partis cedet, nisi de jure conjunctæ manus agatur, qvo casu qvartam partem bonorum defuncti capient.

197. Reditus autem anni, in qvo pars altera defuncta est, penes superstitem remanebunt, neqve divisio, nisi post annum luctus finitum, fiat.

198. Jure retentionis viduæ utentur, donec eis ab hæredibus sit satisfactum.

199. Si alii, qvam liberi, hæredes sunt, prius bona occupare non debent, qvam viduæ per omnia satisfecerint.

200. Bona autem viduæ detentrices deteriorare non debent, aut damna data omnia refundant, secus autem in bonis versantibus judicis officio curator bonorum dabitur, qvin & viduæ, durante retentionis tempore, sive id dotis causa, sive curatorio liberorum nomine, factum fuerit, satisfactione præsti-

ta, rationes edere, atqve in iis non ultra, qvam alimenta exposcunt, defalcare, tenebuntur.

201. Viduæ item matres pupillorum suorum curam gerentes, etsi, quamdiu in viduitate manserint, rationes edere obstrictæ non sint, tamen si ad secunda vota transierint, de præteritis annis rationes proximis agnatis pupillorum exhibebunt, ac nisi qvod ipsis ratione dotis, aut dotalitii, aut pactorum, aut alimentorum portione, debitum fuerit, decurtabunt, cæteros vero reditus perceptos pupillis refundant.

202. Sive liberi, sive uxor, sive fratres, sive qvivis alius hæres, si defuncti necem, aut graves injurias, non vindicaverit, ejus successione indignus censeri, & si quid ex hæreditate defuncti percepit, ab eo revocari debebit.

203. Arma expeditoria primogenito aut agnato proximo, juxta morem cujusqve loci, ex defuncti hæreditate dabuntur.

204. Hæreditas nulla est, nisi ære alieno prius deducto.

205. Si qvi creditores invaserint hæreditatem, sine autoritate judicis, aut hæredes, intra triginta dies luctus, molestia affecerint, & in exigendo se minus modestos gesserint, jure crediti sui cadere debent.

De Delictis & Pœnis:

206. Delictum est, qvod ex dolo vel culpa profectum est.

207. Culpa vel magna, vel parva, est, cujus noxa in facto, distinctio in arbitrio judicis, consistit.

208. Blasphemi in Deum, rei item læsæ Majestatis Divinæ & humanæ, sacrilegi, rebelles, profugi desertores, proditores, fama, vita & bonis, priventur & gladio feriantur.

209. Ve-

209. Venefici, parricidæ, incestuosi, incendiarii, flammis absumantur, latrones rota plectantur.

210. Homicidæ, dolosi, virginum aut fœminarum violenti expugnatores, vim in via publica, vel etiam in privatis ædibus, cum armis exercentes, etiamsi nemo occidatur, gladio feriantur, alieni thori violatores infames sint.

211. Fures sive nocturni, sive diurni, peculatores, expilatores hæreditatum, res commodatas perfide subtrahentes, suspendantur, hominum item Nobilitatis pecorumqve subductores & abigei capite plectantur.

212. Prædones, vel raptores & invasores, rerum suarum propriarum dominium perdant, alienarum autem jure, qvod habuerunt, priventur, & præter rem invasam, aut raptam, æstimatione ejus rei invasæ, vel raptæ, mulctentur, si rapinas iteraverint, sint infames.

213. Falliti, conturbatores, ac decoctores, si solvendo non sint, & summa, in qva creditores defraudarunt, octo millia florenorum Polon. excesserit, vel honore priventur, vel gladio feriantur, qva lege non comprehenduntur, qvi infortunio facultatibus sunt lapsi.

214. Rem unam, sive in judicio, sive privatim, duobus oppignorans, si solvendo non fuerit, infamis esto.

215. Stupratores honestarum fœminarum, vel virginum, arbitrio judicis, aut dotent, aut ducant, stupratas.

216. Si ignobilis nobilem stupraverit, gladio feriatur, nisi a cognatis ei ignoscatur.

217. Contractus vel Instrumenta falsificantes, prævaricatores, falsumve partum supponentes, aut falsum testimonium dicen-

dicentes, ex qvo aliqvis vel læſus eſt, vel lædi potuiſſet, niſi patefactum eſſet, gladio plectantur.

218. Injuriam ſemel verbis, vel ſcriptis, facientes recunctent, ſi componere non poſſint, & æſtimationem ejus luant, ſi iteraverint, ſint infames.

219. Famoſorum libellorum chartarumve ſcriptores diſſeminatoreſqve infames pronuntientur, & ſi crimen capitale alicui in ſcriptis ſuis famoſis objecerint, vel rebellionis cauſa ſcripta ſua compoſuerint, capite plectantur.

220. Famulos alios corrumpentes, vel ſine literis dimiſſoriis conducentes, viginti florenis puniantur.

221. Nemo famulo ſuo, qvem a ſe dimittit, aliud teſtimonium det, qvam ejus merita expoſcunt, ſi ſecus fecerit, ac teſtimonio ſuo alios ſeduxerit, viginti Hungaricos ſolvat.

222. Si qvis in præſentia mulierum, aut fœminarum, rixas concitaverit, & plagas alteri intulerit, niſi id ſui defenſionis cauſa fiat, centum florenis puniatur, & tantiſper ab omni honeſta congregatione abſtineat, donec mulctam perſolverit.

223. Alienarum literarum interceptores, aut traductores, tanqvam ſtellionatus rei, ignonimia notentur, aut arbitrariis pœnis, pro qvalitate rerum & circumſtantiarum, puniantur.

224. Furto aliena ligna cædens, ſi in actu fuerit deprehenſus, pro qvolibet eqvo qvatuor marcas Rigenſes ſolvat, ſi eqvi pignorati, vel capti, ſolutionis tempore præſto non ſint, intra triduum reſtitui pignorato, aut, ſi diutius detenti fuerint, ſine omni pretio, aut mulcta, reddi debent.

225. Qvercum unam, aut plures, cædens in alieno fundo, pro qvalitate arboris, duos Hungaricos ſolvat.

226. Receptatores hominum Nobilitatis propriorum fugientium & opitulatores, aut fugæ exhortatores, ſi Nobiles ſint, ducentorum florenorum mulcta, ſi ignobiles, aut ruſtici, fuſtigationis pœna, feriantur.

227. Fugitivorum hominum caſas relictas deſtruens & abducens furti pœnam luat.

228. Mulctæ, Statutis præſentibus comprehenſæ, qvæ partibus læſis non debentur, ærario Provinciali inferantur, exceptis iis, qvæ judicio debentur.

Epilogus:

Atqve hæ ſunt Leges, hoc tempore *per nos ſancitæ, promulgatæqve, ſalvis tamen Legibus Regni publicis, ſalvaqve item augendi, minuendi corrigendiqve poteſtate, cum autoritate tamen & confirmatione Sacræ Regiæ Majeſtatis.* In qvorum omnium fidem nos ablegati Commiſſarii præſentes manibus noſtris ſubſcripſimus, ſigilliſqve noſtris communivimus. Datum Mitaviæ, Die 18. menſis Martii, Anno Domini Milleſimo ſexcenteſimo decimo ſeptimo.

(XII.)
Juramentum Jacobi, Ducis Curlandiæ,
Sereniſſimo Vladislao IV. Poloniæ Regi,

Vilnæ, d. 16. Februarii, A. 1683. præſtitum,

Pro exemplo conſuetæ homagii formulæ a Ducibus, ſub inveſtitura, Regibus præſtandi.

EGo, Jacobus, Dux Curlandiæ & Semigalliæ in Livonia, juro ſuper hæc Sancta Dei Evangelia, qvod ab hac hora

 dein-

deinceps, usqve ad ultimam diem vitæ meæ, ero fidelis & obediens Tibi, Serenissimo Principi, Vladislao qvarto, Dei gratia Regi Poloniæ, Magno Duci Lithvaniæ, & sicuti meo naturali & hæreditario Domino, & Successoribus legitimis Tuis, Regibus & Regno Poloniæ, Dominis meis, contra omnem hominem, nemine prorsus excepto; Et qvod nunqvam ero scienter in consilio, vel auxilio, vel in facto, ex qvo, qvod absit, amittas vitam, vel membrum aliqvod, vel per qvod accipias in Persona aliqvam læsionem, vel contumeliam, aut injuriam, vel per qvod amittas aliqvem honorem, qvem nunc habes, vel post habebis; Et si sciero, vel audiero de aliqvo, qvi velit aliqvid istorum contra Te & Regnum hoc Poloniæ facere, pro posse meo, ut non fiat, impedimentum præstabo, & si impedimentum præstare neqveo, qvamcito potero Tibi nunciabo, & contra eum, juxta pacta, auxilium Tibi & Regno præstabo. Et si contigerit, Te rem aliqvam, qvam habes, vel post habebis, casu aliqvo amittere, eam recuperare curabo, in recuperataqve retinenda Te omni tempore juvabo, & si sciero, contra aliqvem velle Te publico consilio arma sumere, & de eo generaliter, vel specialiter, fuero reqvisitus, meum Tibi, secundum Pacta, præstabo auxilium. Et si aliqvid mihi de secreto manifestaveris, illud sine Tua licentia nemini pandam, neqve qvidqvam, per qvod pandatur, faciam. Et si consilium a me super aliqvo facto postulaveris, illud Tibi dabo consilium, qvod Tibi Dominiisqve Tuis judicavero magis expedire, & nunqvam ex Persona mea aliqvid scienter, qvam pertineat ad Tuam vel Regni Dominiorumqve Tuorum, tuebor & conservabo, & qvoad maxime potero, augebo. Deniqve etiam pacta antiqva, priora omnia & singula, qvocunqve tempore a Decessoribus meis, Curlandiæ & Semigalliæ Ducibus, cum Inclyto

clyto hoc Regno & Magno Ducatu Lithvaniæ conventa, tum & Formulam Regiminis & præſentem tranſactionem, conditioneſqve Tecum tractatas conſtitutasqve, & a me peculiari Diplomate confirmatas, ſervabo & implebo, ac præterea omnium ac ſingulorum, Eqveſtris Ordinis ac privatorum, Ducatus Curlandiæ & Semigalliæ incolarum, Jura, Privilegia, Libertates, Immunitates, ſartas tectaſqve integerrime ſervabo, ne qvidqvam, in contrarium eorundem, præjudicii ac derogationum faciam, aut fieri permittam: Sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia.

XIII.

Diploma Inveſtituræ, Friderico Caſimiro, Curlandiæ & Semgalliæ Duci, a Johanne III. Poloniæ Rege, de Ducalibus feudis,

Varſaviæ, d. 25. Martii, A. 1683. conceſſa,

Juxta transſumtum ex Actis Metrices Regni, publica autoritate, d. 24. Januarii, A. 1719. corroboratum,

Pro exemplo uſitatæ in Cancellaria Regni Inveſtiturarum Curlandicarum formulæ inſerviens.

In Nomine Domini Amen: Ad perpetuam rei memoriam: Nos Joannes III. Dei gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Kijoviæ, Volhyniæ, Podoliæ, Podlachiæ, Livoniæ, Smolenſciæ, Severiæ, Czerniechoviæqve, Significamus præſentibus Literis Noſtris, qvorum intereſt univerſis & ſingulis: Cum jam antea Illuſtriſſimus olim Princeps, Dominus Gotthardus, Curlandiæ & Semigalliæ Dux, tunc temporis Eqveſtris Ordinis Teutonici Magiſter,

universa cum Livoniæ Nobilitate, Civitatibus Statibus atqve Ordinibus omnibus, se ad Serenissimi Prædecessoris Nostri D. Sigismundi Augusti & Successorum, Regniqve Poloniæ & Magno Ducatu Lithvaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masoviæ, Samogitiæ, cæterarumqve Ditionum Nostrarum, fidem ac potestatem contulisset, & in omne tempus subjecisset, idqve ut faceret, justissimis gravissimisqve causis & pernecessariis Livoniæ rebus adductus esset, Magno nempe Moschorum Duce, longo & crudelissimo bello, in eam Provinciam gravissime incumbente, ac longe lateqve omni injuriarum direptionumqve genere & flamma ferriqve sævitia grassante, jamqve eo usqve armis progresso, ut nihilnon in ejus potestatem venturum, cunctaqve vi illa hostili superatum atqve excisum iri viderentur; Jam ejus Illustritate, cunctisqve Livoniæ Ordinibus, belli magnitudine admodum fractis, & neqvidem Serenissimorum Imperatorum Sacriqve Romani Imperii fidem, auxilium & opem, diu implorantibus, spem jam nullam non modo pristini status Provinciæ, sed nec qvidem salutis, libertatis, vitæqve singulorum amplius retinendæ habentibus, aliam, qvam qvæ in Serenissimorum Poloniæ Regum & Regni Magniqve Ducatus Lithvaniæ defensione atqve imperio sita esset, qvod tum ejus Illustritas, tum Livonia universa, a Serenissimo Prædecessore, D. Sigismundo Augusto, in fidem, potestatem ac ditionem suam, & Successorum suorum Regni, Magniqve Ducatus Lithvaniæ, certis conditionibus, juste legitimeqve recepta sit. Et qvia Illustritatis ejus studium, in adducenda ea Provincia ad subjectionem ditionemqve Poloniæ Regum, singulare extitisset, & ita mereri ejus dignitas, virtus, fides censeretur, illi, mutato, ex consilio Eqvestris Ordinis, statu priore, approbante eam rem Serenissimo Rege, D. Sigismundo Augusto, ab eodem, tanqvam

qvam supremo, directo, naturali ac perpetuo, feudi illius Domino, Ducalis titulus, cum omni dignitate, insignibus, privilegiis Ducalibus, ac ditionibus certis, tributus, & ejus Illustritas Vasallus Poloniæ Regum, feudatariusqve Princeps, Regni & M. D. Lithvaniæ membrum factus fuerit, prout Diplomate jam ante D. Prædecessori nostro, Domino Stephano, Regi, exhibito, ac Vilnæ 28. die Novembris, anno Domini millesimo qvingentesimo sexagesimo primo, perscripto, & Sigismundi Augusti, Prædecessoris, manu subscripto, sigillo autem ejus annulari signato, certius fusiusqve continetur. Qvod præterea cum Illustritas ejus de solenni sua Investitura feudali Serenissimum Prædecessorem, Divum Sigismundum Augustum, aliqvoties appellasset, & per temporum rationem, magnitudinemqve Regni negotiorum, voti sui compos, regnante viventeqve prædicto D. Prædecessore Nostro, effici non potuisset, postea vero a Serenissimo Stephano, Rege & Prædecessore Nostro, ad Regni Poloniæ Magniqve Ducatus Lithvaniæ fastigium Dei benignitate evecto, diligentissimis precibus confirmationem suorum jurium a Divo Sigismundo Augusto concessorum & Ducalem feudi investituram prius in comitiis, ab eodem D. Stephano habitis, flagitasset, sed cum magnitudo varietasqve occupationum ejus Serenitatis, tum locorum qvoqve intervalla, id a Serenitate ejus præstari non paterentur, ejusqve rei peragendæ ex consilio Regni Nostri Consiliariorum, qvi partim Serenitati ejus adfuerunt, partim per literas de eo appellati fuerunt, pariterqve eorum, qvi ex M. D. Lithvaniæ freqventes Serenitati ejus in Senatu assederunt, in alium locum tempusqve, opportunitate ejus rei constituta, cum Illustritas ejus ad diem qvartam mensis Augusti, anno Domini millesimo qvingentesimo septuagesimo nono, sub generalem exercituum delectum & recensitum,

tum, ad flumen Dunam, prope Dyſnam, qvo in loco tum idem Sereniſſimus Prædeceſſor Noſter caſtra habebat, acceſſiſſet, inqve caſtris & territorio Serenitatis Ejus, Inveſtituram ab eodem Sereniſſimo Prædeceſſore Noſtro petiiſſet, & fidelitatis ſubjectioniſqve jusjurandum eidem Sereniſſimo Prædeceſſori Noſtro, Ejuſqve Succeſſoribus, ſupremis, directis, naturalibus & perpetuis, Dominis, Regno, Magnoqve Ducatui Noſtro Lithvaniæ, præſtitiſſet, qvod tum idem Sereniſſimus Prædeceſſor Noſter, Stephanus, Rex, ex conſilio Senatorum tam lateri Ejus aſſidentium, qvam per literas de eo reqviſitorum, prænominatum Illuſtriſſimum Principem, Dominum Gotthardum, Curlandiæ & Semigalliæ Ducem, ad terras, civitates, oppida, arces, poſſeſſiones, qvas a Sereniſſimo commemorato Prædeceſſore Noſtro conceſſas habuit, ac præeminentias juraqve omnia & ſingula, tradito ab eodem Sereniſſimo Prædeceſſore Noſtro, Stephano, Rege, ſolenni ritu feudali vexillo, Serenitas ſua inveſtiverit. Sereniſſimus qvoqve Sigiſmundus III. Poloniæ & Sueciæ Rex, Illuſtriſſimo Principe Gotthardo mortuo, filiis Illuſtritatis ejus, Illuſtriſſimis Principibus, Dominis, Friderico & Guilhelmo, eorundem jurium confirmationem & Ducalem feudi inveſtituram, diligentiſſimis itidem precibus flagitantibus, prædictos Illuſtriſſimos Principes, Fridericum & Guilhelmum, Illuſtriſſimum qvidem Principem Fridericum præſentem, Illuſtriſſimum vero Principem Gvilhelmum, per unum ex conſiliariis fratris ſui vexillum porrectum apprehendentem, ad easdem terras, civitates, oppida, arces, poſſeſſoreſqve ac præeminentias, juraqve omnia & ſingula, tradito ſolenni ritu feudali vexillo, utrumqve in ſolidum, ſine tamen Ducatus diſmembratione, inveſtiverit. Et ſublato ex humanis Sereniſſimo Rege, D. Sigiſmundo III. Illuſtriſſimus Princeps, Fridericus, in felicis in-

inaugurationis Sereniſſimi Regis, Vladislai IV. Prædeceſſoris, comitiis, tam propter difficultates itinerum, qvam temporis anguſtiam, ad præſtandum vigore pactorum & inveſtiturarum homagium adeſſe non poſſet: præfatus qvoqve Rex abſentiam Illuſtritatis ejus in bonam partem ex allegatis rationibus accipiens, ejus homagii præſtationem ad proxima tunc comitia, vel felicem Ejus in Magno Ducatu Lithvaniæ Vilnam adventum diſtuliſſet, prædictuſqve Illuſtriſſimus Curlandiæ Dux, Fridericus, juxta reſponſum Serenitatis ſuæ, ſolennis juramenti Regi Regnoqve præſtandi cauſa, Vilnam in propria perſona veniſſet, & die 20. menſis Julii, Senatoribus lateri Serenitatis ſuæ aſſidentibus, Officialibus & Aulicis Regiis magnaqve freqventia Nobilitatis præſentibus, inveſtituram a ſua Serenitate petiiſſet, jusjurandum præſcriptis verbis ſolenni ritu & ceremonia Regi Regnoqve præſtitiſſet; Junior vero tunc Illuſtriſſimus Dux, Jacobus, ſuæ Illuſtritatis ex fratre nepos, tunc temporis præſens, tanqvam legitimus Succeſſor & a Serenitate ſua ad contactum vexilli admiſſus fuiſſet, Serenitas ſua prædictum Illuſtriſſimum Principem, Fridericum, ad easdem terras, civitates, oppida, arces, poſſeſſiones ac præeminentias, juraqve omnia & ſingula, tradito ſolenni ritu feudali vexillo, inveſtiverit. In comitiis vero anni 1638. a ſuæ Illuſtritatis ac Ducatus Curlandiæ atqve Semigalliæ Nobilitatis eo nomine Varſaviam ablegatis Internunciis, Serenitas ſua interpellata eſſet, dignaretur conſenſum ſuum Regium præbere, ut prædictus Illuſtriſſimus Princeps, Fridericus, ætate confectus, liberam & plenariam facultatem haberet, cedendi regiminis & poſſeſſionis Ducatus Curlandiæ & Semigalliæ Illuſtriſſimo Principi, Jacobo, & fratre nepoti; Serenitas ſua ob præmemoratam cauſam, re hac prius cum D. D. Senatoribus Regni Magniqve Ducatus Lithvaniæ

niæ in iisdem Comitiis Regni Generalibus lateri ſuo aſſidentibus, diligentiſſime perpenſa, eoqve conſiderato, qvod prænominatus Illuſtriſſimus Princeps, Jacobus, vigore pactorum & inveſtiturarum, a Sereniſſimis Prædeceſſoribus Serenitatis ſuæ, D. D. Poloniæ Regibus, conceſſarum, & per Serenitatem ſuam ex Senatusconſulto, in ſolenni inveſtiturarum iſtarum renovatione, confirmatarum, tanqvam ſimultanee inveſtitus Princeps, & ex pacto, & providentia avi & patrui ſui, legitimus ſucceſſor, alias in Ducatus Curlandiæ & Semigalliæ ſucceſſurus ſit, petitioni huic humillimæ, & primævæ ſubjectionis pactis, inveſtituris atqve reſponſis, tam ſuis, qvam Reipublicæ, congruæ locum dandum, conſenſumqve Regium ſpeciali, in iisdem comitiis ex Senatusconſulto eo nomine dato, Diplomate præbendum eſſe duxit, prout etiam conſtanter præbuit. Et licet qvidem ſua Illuſtritas, Dux Fridericus, conſenſum Serenitatis ſuæ ex Senatusconſulto, de facienda in perſonam Ducis Jacobi ceſſione, a Serenitate ſua, per ſuum ac Ordinis Eqveſtris Legatos, obtinuiſſet, & certis conditionibus ceſſionem feciſſet, Duxqve Jacobus, inhærendo conſenſui, homagii præſtandi cauſa ad Serenitatem ſuam in propria perſona, ad diem præfixam, Vilnam veniſſet, ac juramentum præſtare paratus, ſolennem inveſtituram expediri a Serenitate ſua humillime ſolicitaſſet, Serenitas vero ſua ceſſionem illam, juxta tenorem conſenſus, non factam fuiſſe, cum D. D. Senatoribus ac Conſiliariis ſuis Regiis, lateri ſuo Regio aſſidentibus, ex ceſſionis inſtrumento, coram Serenitate ſua producto, perſpexiſſet, nihilominus tamen ob inſignia dictorum Principum, ac inprimis Illuſtriſſimi Ducis, Friderici, in Reges & Rempublicam merita, & ex ſingulari erga Domum Ducalem affectu & benevolentia, defectum non factæ plenariæ ceſſionis, ex plenitudine poteſta-

tis

tis suæ Regiæ, supplendum, beneficium illud amplificandum cessionemqve illam conditionatam autoritate Regia sublevandam esse, duxit, eundemqve Ducem Jacobum, ac illius hæredes masculos, legitimos Feudi Successores eo modo ad terras, civitates, oppida, arces, possessionesqve a DD. Decessoribus suæ Illustritatis, Avo, ejusqve hæredibus, ac Patruo, Duci Friderico, concessas & præeminentias juraqve omnia & singula, tradito a Serenitate sua solenni ritu feudali vexillo, investivit, Diplomate consensus antea ex Senatusconsulto a Serenitate sua obtento, uti fundamento totius istius actus salvo & in suo robore conservato; Cujus vigore Illustrissimus Princeps, Fridericus, qvandocunqve ipsi libuerit, cessionem realem & plenariam cum jurisdictione & regimine in personam Ducis Jacobi facere, intra fatalia tamen juris, posset. Si vero contigisset, Ducem Jacobum, post factam sibi a Duce Friderico cessionem, absqve prole mascula, e vita decedere, tunc nihilominus idem Ducatus, non obstante eadem cessione, ad Ducem Fridericum redire, ac penes ipsum, vigore præteritarum ipsi concessarum investiturarum, remanere debuisset. Ducem qvoqve Jacobum, etiam non obtenta ante decessum Illustrissimi Principis Friderici cessione, vi pactorum primævorum & investiturarum, tum qvoqve diversorum responsorum & istius homagii intuitu, circa feudum Ducatus possessionemqve, cum pleno regimine, itidem ejusdem investituræ vigore conservavit, Serenissimosqve Successores conservare debere decrevit, hac speciali conditione adjecta, ut Dux Jacobus sive post cessum, sive post decessum Ducis Friderici, non prius possessionem illius Ducatus adire, jurisdictionemqve exercere, inciperet, antequam per Commissarios ad faciendam introductionem a Serenitate sua deputandos legitime intromissus fuisset; Posses-

V fione

ſione porro rite & legitime, prævia ceſſione & intromiſſione, cum pleno regimine adepta, & per aliqvot annos juxta inveſtituram ac pacta conventa pacifice habita, cum ſublato ex humanis præfato Sereniſſimo Rege, Vladislao IV. & electo in Regem Poloniæ, Sereniſſimo Joanne Caſimiro, Anteceſſoribus Noſtris, prænominatus Illuſtriſſimus Princeps, Jacobus, in comitiis coronationis illius, ad præſtandum homagium per Internuntios gratiam illius humillime expetiiſſet, ac ſicuti Sereniſſimi Anteceſſores Noſtri, Reges Polon. in augenda ac ornanda ſingularibus beneficiis Illuſtriſſima Curlandiæ & Semigalliæ Ducum Familia, in omni occaſione maxima exhibuerunt documenta, ita, ut Sereniſſimus Joannes Caſimirus, Illuſtriſſimum Principem, D. Jacobum, pari affectu & benevolentia complexus, novum hoc beneficium eidem conceſſit, ut per Legatos ſuos cum debita fidelitatis & ſubjectionis teſſera ſolita ſolennitate homagium præſtare, & inveſtituram ritu conſueto recipere poſſet. Qva benevolentia Regia condigne accepta, is idem Illuſtriſſimus Princeps, D. Jacobus, ad Sereniſſimum Joannem Caſimirum, Anteceſſorem Noſtrum, Legatos ſuos, G. G. Georgium Viſcher de Viceden, ſupremum primæ inſtantiæ Mitavienſ. Capitaneum, & cubiculi Regii familiarem, atqve Georgium Goes, Capitaneum Schrundenſem, miſit, qvi Varſaviæ, die vigeſima menſis Maji, anno Domini 1649. coram Throno Regio in manibus illius ſolenni ritu, nomine Illuſtrisſimi Principis, Domini Jacobi, homagium præſtiterant, & vicisſim a Sereniſſimo Anteceſſore Noſtro, jure gratiæ, feudale vexillum cum inveſtitura humillime receperant; item a Serenisſimo Michaele, per Legatos ſuos, Generoſ. Chriſtophorum Henricum Puttkamer, ſupremum Capitaneum Tukumenſem, & Georgium Fircks, Colonellum, eandem ritu ſolenni traditione vexilli acceperat

ceperat gratiam; Nec minori benevolentiæ Regiæ documento Nos, cum vocatione illius, per qvem Reges regnant, ad Regale ſolium evecti eſſemus, illum ipſum Illuſtrisſimum Ducem, Dominum Jacobum, amplexi, ejus Illuſtritati pro recipienda per Legatos ſuos, juxta beneficium D. Michaelis, Antecedanei Noſtri, Illuſtritati ejus conceſſum inveſtituræ, ultimam diem Julii, anno 1676. deſignaveramus. Ottomannica autem tum appropinqvare volente potentia ad prælia evocati, terminum ad reditum Noſtrum prorogaveramus, reverſiqve & peracta ejus anni expeditione atqve terminatis Generalibus Regni Comitiis, memoratum Illuſtrisſimum Ducem, Dominum Jacobum, præſtito, per Legatum ſuum Generoſ. Evaldum Pfeilitzer, nominatum Franck, Cancellarium & ſupremum Conſiliarium ſuum, fidelitatis & ſubjectionis juramento, ad easdem terras, civitates, oppida, arces, poſſesſiones ac præeminentias, juraqve omnia & ſingula, tradito more ſolenni feudali vexillo, inveſtiveramus. Vbi vero elapſis aliqvot pariter annis, idem Illuſtrisſimus Dominus, Jacobus, Dux, vita functus fuerat, filius Illuſtritatis ejus, Illuſtrisſimus Princeps, Dominus Fridericus Caſimirus, ad qvem ſucceſſorio ordine & jure primogenituræ ex pacto & providentia Proavi, parentis Patrui, & parentis ipſius ſuccesſio feudi, qvod ſecundum Decretum D. Prædeceſſoris Noſtri, Sigismundi III. integrum & individuum, tam ratione jurisdictionis, qvam bonorum, manere debet, ſpectat, confeſtim per ablegatos ſuos humillime petiit, ut ſecundum beneficium D. Michaelis, Regis Polon. Antecedanei Noſtri, & Noſtrum, Illuſtritatis ejus Illuſtrisſimo parenti, Domino Jacobo, conceſſum, homagium per Legatos præſtare inveſtituramqve ſuper Avitum & Paternum feudum ſuum, Curlandiæ & Semigalliæ Ducatus, a Nobis humillime recipere poſſet; Cumqve Nobis ab initio

Regiminis Noſtri cordi fuerit, illuſtriſſimos in Livonia Curlandiæ & Semigalliæ Duces, totamqve adeo Ducalem Domum pari gratia Regia, qva Serenisſimi anteceſſores Noſtri ſoliti fuerunt, proſeqvi & fovere; Ideo Clementisſime annuimus, ut confirmationem jurium & Ducalem feudi inveſtituram per Legatos a Nobis acciperet, Actuiqve huic ſolenni peragendo tempus duarum ſeptimanarum ante Generalia Regni Comitia denominavimus. Hac declaratione Noſtra Regia gratiis ſubmisſimis ab Illuſtrisſimo Principe, Domino Friderico Caſimiro, accepta, temporeqve denominato adveniente, Illuſtritatis ejus Legati, G. G. Chriſtophorus Henricus, liber Baro de Puttkamer, ſupremus Ducatus ſui Præfectus, & Dietericus ab Alten-Bochum, ſupremus ejusdem Mareſchalcus, ſupremiqve Conſiliarii ſui, Varſaviæ comparuerunt. Qvoniam autem ob itinerum difficultates aliaqve præpedimenta Nos tribus diebus ſaltim ante memorata Comitia huc pervenimus, terminum eundem ad diem vigeſimam qvintam menſis Martii, anni nunc currentis, prorogavimus, in qvo dum modo nominati legati, non ſolum petitum Illuſtriſſimi Ducis, Friderici Caſimiri, jam præfatum omni ſubjectionis cultu iterarunt, verum etiam nomine Illuſtritatis ejus Illuſtriſſimorum Fratrum, Domini Ferdinandi, & Domini Alexandri, Ducum poſtgenitorum, humillime rogarunt, ut in caſum deficientis aliqvando in maſculo ſexu lineæ Friderico-Caſimirianæ, Illuſtriſſimo Domino Ferdinando, & Ferdinandinæ, Illuſtriſſimo Domino Alexandro, earumqve Illuſtritatum legitimis Succeſſoribus maſculis jus ſimultaneæ inveſtituræ, ſecundum jura Ducalia, & inveſtituras Sereniſſimorum Poloniæ Regum, Prædeceſſorum Noſtrorum & Noſtrum in tabulis inveſtituræ ſartum tectumqve conſervare, qvam clementiſſime dignaremur. Acceſſimus

ſimus itaqve nunc ad acceptandum homagium, qvod Nobis Illuſtrimi Principis, Domini Friderici Caſimiri, Ducis, Legati dicti coram Throno Noſtro Regio, & in manibus Noſtris ſolenni ritu præſtiterunt, feudaleqve vexillum jure gratiæ cum inveſtitura a Nobis humillime receperunt. Præmiſſa igitur rata & grata habentes confirmantesqve, & de integro ſolenni inveſtitura conferentes, qvæ a prædictis Sereniſſimis Prædeceſſoribus Noſtris, Regibus Poloniæ, & Nobis, vigore pactorum, & inveſtiturarum, ſub Illarum & Noſtris manibus, ſigillis autem Regni, Magniqve Ducatus Lithvaniæ, Illuſtritatis Ejus Proavo, Gotthardo, parentis Patruo Friderico, & parenti ipſi Jacobo, jam antea data conceſſa & collata ſunt, nimirum Ducalem titulum ad inſtar Illuſtriſſimi Ducis in Pruſſia, cum omni dignitate, inſignibus, privilegiis Ducalibus, ita ut Vaſallus & Feudatarius Princeps Noſter, & Succeſſorum Noſtrorum Regni, & Magni Ducatus Lithvaniæ, membrum ſit, itidem ejus poſteri ſint. Præterea ut a Divo Sigiſmundo Auguſto, Prædeceſſore Noſtro, jam ante Illuſtritatis ejus Proavo, Gotthardo, qvondam Duci, poſteriſqve ejus legitimis maſculis, ex ejus lumbis linea recta deſcendentibus, nominatæ ditiones, poſſeſſiones, civitates, oppida, arces, terræ aſſignatæ, ſine infeudationis ſolennitate fuerunt, poſtea vero vigore legitimæ inveſtituræ a Sereniſſimis itidem Prædeceſſoribus Noſtris, Divo Stephano, Sigiſmundo III. Vladiſlao IV. Joanne Caſimiro, Michaele, Regibus & Nobis Illuſtritatis ejus Anteceſſoribus Illuſtriſſimis attributos, ita nunc Nos qvoqve Illuſtriſſimo Principi, Friderico Caſimiro, attribuimus, damus & conferimus, primum totum illum tractum Curlandiæ & Semigalliæ, incipiendo a ſalſo mari ſurſum ſeqvendo fluvium Hylga, aſcendendo ad antiqvos limites per Generoſ. Radzivilium inceptos & diſpoſitos inter Samogitiam, Lithva-

Lithvaniam & Prussiam ab una, & Livoniam ab altera, partibus versus districtum Polocensem ad Dunam fluvium, descendendo vero Duna usqve ad mare salsum; adeo ut qvidqvid in istis terminis cis Dunam versus Lithvaniam continetur, & ad Ordinem Livoniæ spectabat, nunc & in perpetuum apud Illustritatem ejus, ipsiusqve hæredes masculos, permaneat, Curias videlicet Bona & Nobilitatem, qvæ ad arcem Dunaburgensem, ex hac parte fluvii versus Lithvaniam, spectarunt, arcem Seelburgam cum toto districtu, curias item, Nobilitatem & omne id, qvod videlicet ex hac parte ad arcem Ascherat spectabat, arcem Bauske, Neuguth, cum iis, qvæ ad arcem Kirchholm pertinebant, arces item, curias & oppida Mitau, Tuckum, Neuenburg, Doblen, Candau, Alswangen, Schrunden, Frauenburg, Zabell, tum & alias arces, qvæ Serenissimo Antecessori Nostro, D. Sigismundo Augusto, oppignoratæ fuerunt, Goldingen, Hasenpoth, Durben, Vindau, in summa octuaginta millium florenorum, arcem vero Grobin in qvinqvaginta millibus illustrissimo qvondam Principi, Alberto, Marchioni Brandeburgensi, in Prussia Duci, itidem oppignoratam, & illas qvidem summas, qvemadmodum D. D. Prædecessores Nostri in Diplomatibus suis remiserant, ita & Nos remittimus, adeoqve ut prænominati D. D. Prædecessores Nostri suæ illustritatis antecessores, ita & Nos ejus Illustritatem legitimosqve ejus Successores, hæredes masculos ex lumbis ejus linea recta pervenientes, circa totum istum Curlandiæ & Semigalliæ Ducatum, cum dictis terris, civitatibus, oppidis, arcibus & curiis, hac investituræ renovatione pro Nobis & Successoribus Nostris in toto conservamus, iisdemqve prærogativis ac immunitatibus, qvibus Illustrissimo Principi, Jacobo, & ejus Antecessoribus antea collata fuerunt, sine Nostro Hæredumqve & Successorum

Nostro-

Noſtrorum, Regum & Regni Poloniæ, impedimento ac præjudicio. Pro Nobis vero & Serenisſimis Succeſſoribus Noſtris in Regno, Magnoqve Ducatu Lithvaniæ, reliqvam Livoniam, cum omni proprietate directo & utili Dominio, omniqve mero & mixto Imperio, qvemadmodum jam ante, DD. Prædeceſſores Noſtri, Sigiſmundus Auguſtus, Stephanus, Sigiſmundus III. Vladislaus IV. Joannes Caſimirus, & Michael, reſervaverunt, atqve Nos reſervavimus, ita denuo reſervamus retinemusqve, ſalvis pactis Olivenſibus. Cumqve inter cætera & hoc inter Sereniſſimum Prædeceſſorem Noſtrum, D. Sigiſmundum Auguſtum, & Illuſtritatis ejus proavum, convenit, ut permutatione Epiſcopatus Curonienſis, pro Sonneburga arce, curiis Leal & Habzell, Illuſtris Dux Magnus contentetur, & ad eam rem prædictus Dominus, Sigiſmundus Auguſtus, Serenisſimus Stephanus, Serenisſimus Sigiſmundus III. Serenisſimus Vladislaus IV. Serenisſimus Joannes Caſimirus, & Serenisſimus Michael, operam receperunt & Nos recipimus, ut cum reliqva Curonia Epiſcopatu Curonienſi qvoqve ſua Illuſtritas potiatur. Poſtea vero cum vivente Duce Magno permutatio ea perfecta non fuiſſet, gravisſima autem de Epiſcopatu eo controverſia inter Divum Deceſſorem Noſtrum, Stephanum, & Serenisſimum Daniæ Regem, exorta, tandem Serenisſimus qvondam Daniæ Rex, per tranſactionem ex certis conditionibus Serenisſimo Deceſſori Noſtro Regnoqve Jus ſuum, qvod habere ſe in eo Epiſcopatu exiſtimabat, cesſiſſet, nihil hoc tempore ſtatuere, ea de re poſſumus, rem omnem in eo ſtatu, in qvo ante ſub Serenisſimis Regibus, Sigiſmundo Auguſto, Stephano, Sigiſmundo III. Vladislao IV. Joanne Caſimiro, & Michaele, Antecedaneis Noſtris, & tempore Regiminis Noſtri fuit, eam relinqvendam eſſe cenſuimus, prout relinqvimus, ſalva nihilominus commisſione,

tem-

tempore commodo per Nos ad effectum deducenda. Neve etiam limitum indiscussorum cum vicinis Illustritas ejus controversiam aut difficultatem habeat, Regni Nostri autoritate curabimus, ut primo qvoqve tempore ad præscriptum pactorum Posuoliens. & posteriorum Vilnens. regantur, & certi constituantur, in tota illa vicinia limites, interea vero, ne utra pars alteri damnum inferat, aut litem & difficultatem moveat pro eo, ut hoc privilegio prædictorum DD. Antecessorum Nostrorum continetur. Cumqve tractus Dunæ sursum & deorsum limites, inter Nos & Illustritatem ejus, constituat, jus & æqvitatis ratio postulat, ut medietate fluvii in piscando & aliis commoditatibus ejus Illustritas perpetuo gaudeat, qvæqve Insulæ seu mediamnes alteri parti viciniores sunt, apud eandem partem, juxta privilegia eorundem DD. Antecessorum Nostrorum, maneant. Monetæ etiam cudendæ facultatem, ut a prædictis DD. Antecessoribus Nostris, jam ante Illustrissimo Proavo, parentis Patruo, & parenti ejus Illustritatis, data est, Illustritati ejus confirmamus & de integro conferimus, ad pondus & valorem communem Reipublicæ, & ut ejus promiscuus & indifferens usus sit, tam in Regno & in Lithvania, quam in Livonia, volumus, attamen ut ex una parte Nostra effigies, vel Insignia Regni Magniqve Ducatus Lithvaniæ, in altera Illustritatis ejus, exprimantur. Si qvid porro Illustritati ejus vendendum, oppignorandum permutandumve, fuerit, super hoc Illustritati ejus facultatem libertatemqve concedimus, & ut antea a DD. Prædecessoribus Nostris concessum est, ita videlicet, ut ad Nos & Serenissimos Successores Nostros, de eo primo loco deferatur, Nobisqve optio detur, si talem oppignorationem ipsi acceptare voluerimus, sin minus, tum id Illustritati ejus liceat, cui volet, ita tamen, ut tali oppignoratione nulla occasio dismem-

mem-

membrationis a Republica eorum bonorum detur. Dabimus qvoqve operam ſecundum privilegium prædicti D. Anteceſſoris Noſtri, ſi qvando Ducatus Eſtoniæ cum civitate Revalenſi aliqva ratione ad Regnum Noſtrum Polon. adjungatur, ut ſuæ Illuſtritati, ejus Hæredibus & Succeſſoribus legitimis, æqva portio, vel in bonis, vel in pecunia, concedatur, ſumptibus in ea recuperatione factis, ante omnia Nobis refuſis. Quod punctum non ad convellenda pacta Olivenſia, qvæ inviolabiliter obſervare volumus referendum eſt, ſed ut vigori atqve obſervationi inveſtiturarum, in caſum, inopinatum (qvem Deus avertat) caveatur. Deniqve Illuſtritati ejus jurisdictionem totalem pro eo, ut in privilegiis D D. Anteceſſorum Noſtrorum continetur, juxta leges & conſuetudines moresqve antiqvos, confirmamus, & de novo concedimus, & illi, qvi ejus Illuſtritatis jurisdictioni ſubjecti, & ratione Domiciliorum ſubditi ejus erunt, & manebunt, ad ſuum tantum Principem provocabunt. In cauſis tamen gravioribus & maximi momenti licebit Nobilitati, a Principe ſuo, prout de jure & juxta priorum inveſtiturarum tenorem, provocare. Caverat etiam D. Sigiſmundus Auguſtus, Anteceſſori Illuſtritatis ejus, piæ memoriæ Proavo, cum ante ſexennali bello, tam ſuæ Illuſtritatis, qvam & Nobilitatis Curonienſis, vires exhauſtæ eſſent, relaxata ut eſſet ſua Illuſtritas & Nobilitas ab onere belli, & ut hoc ſaltem præſtarent, & mitterent qvod commode pro modulo ſuo poſſent; Alio autem tempore eam habendam rationem, qvam Illuſtriſſimi olim Ducis in Pruſſia; D. Stephanus vero Rex, Prædeceſſor Noſter, ſe qvoqve pro eo bello, qvod tum gerebat iis copiis, de qvibus cum Illuſtritate ejus ſibi convenerit, contentum fore promittebat. Itaqve qvamvis Nobis de ea Illuſtritate perſuadeamus, qvæ cum Nobilitate ſua poſſit Nobis non gravatim

 tim

tim præſtare, tamen ad clariorem, quod ſua Illuſtritas Nobis præſtare teneatur, declarationem, ita prout inter Serenitatem ſuam, Prædeceſſorem Noſtrum, ac Illuſtritatis ſuæ parentem, conventum fuerat, inter Nos & eandem etiam convenit. Quod in poſterum in vim perpetuæ obligationis erit obſervandum, ut Illuſtrisſimus Dux, Fridericus Caſimirus, ejus Succeſſores & feudi hæredes, pro hac Noſtra in ſe beneficentia, tempore expeditionis bellicæ unam cohortem Eqvitum cum ſervitiis Eqveſtribus Nobilium, quoties iis opus fuerit, intra fines Curlandiæ & Semigalliæ præſtet, & qvoties vero, publica aliqva necesſitate bellica poſtulante, in Regno publicæ contributiones decretæ fuerint, toties Dux Fridericus Caſimirus ſummam decem millium florenorum Polon. in theſaurum Reipublicæ inferet & Succeſſores illius inferre tenebuntur, hoc videlicet pacto, qvod licet una, ſive plures contibutiones in generalibus comitiis ſciſcerentur, Dux Fridericus Caſimirus in locum ſive unius, ſive plurium, prætactam decem millium florenum Polonicalium ſummam & non plus, accepta deſuper qvietatione DD. Theſaurariorum, cum ſuis Succeſſoribus pendere ac ſolvere adſtrictus erit. Secus vero ſi publica expeditione ſic exigente Dux, Fridericus Caſimirus, Vaſallagium Eqvitum cum ſuis Nobilibus ſiſteret, in hoc caſu pro eo tempore, etiamſi contributiones in Comitiis ſcitæ fuiſſent, liberum & immunem eundem Ducem, Fridericum Caſimirum, & ipſius Succeſſores, a perſolvenda decem millium florenorum Polon. contributione fore debere, declaramus. Alias etiam cautiones & conditiones, de qvibus inter Serenisſimum Vladislaum IV. Anteceſſorem Noſtrum convenerat, qvæqve peculiaribus ſcriptis Illuſtrisſimo Principi, Jacobo, ſub illius chirographo & ſigillo, continentur, debebit Illuſtrisſimus Princeps, Fridericus Caſimirus, ac ejus Succeſſores obſer-

obſervare. Poſtremo cum jam ante Illuſtriſſimus olim Proavus, Illuſtritatis ejus præneceſſariis & juſtisſimis de cauſis, ſe ditioni atqve imperio Serenisſimorum Prædeceſſorum Noſtrorum & Succeſſorum Regni & M. D. Lithvaniæ ſubjecerit, extrema magni Moſchorum Ducis injuria, vi atqve oppresſione impulſus hoſtili, fruſtra per annos complures implorata Romanorum Imperii ope ac ſubſidio, jam per longiſſimum temporis ſpatium veluti pro derelicto habitus, ſub ditione Poloniæ Regum, Anteceſſorum Noſtrorum & Noſtra, nulla cum controverſia permanſerit, Nos qvidem futurum non judicamus, ut ejus Illuſtritati eo nomine controverſia aut moleſtia ulla afferatur, verum tamen ſi qvæ illata fuerit, qvæ cum labe aliqva nominis, aut aliqvo detrimento, conjuncta ſit, Nos in eo Regio Noſtro officio, qvod in defendendis ſubditis Noſtris verſari, non ignoramus, minime defuturi ſumus, qvodqve Sereniſſimos Prædeceſſores Noſtros, in cauſa Illuſtriſſimi qvondam in Pruſſia Ducis, Alberti, egiſſe intelligimus, agere minime prætermittemus, defenſionemqve contra hoſtem omnem, qvaliscunqve tandem ille fuerit, præſtabimus, & Succeſſores Noſtri præſtabunt. Ipſe vero Illuſtriſſimus Dux pro hac Sereniſſimorum Prædeceſſorum Noſtrorum & Noſtra in ſe beneficentia, qvæcunqve Vaſalli & feudales Principes, erga ſuum naturalem ſuperiorem & directum Dominum fidelitatis, obſervantiæ ſervitiorumqve ſtudia & officia, præſtare tenentur, Illuſtritas ejus erga Nos Regnumqve & M. D. Lithvaniæ præſtabit, itidemqve hæredes legitimi in hoc feudo Succeſſores præſtabunt. Nosqve viciſſim ejus Illuſtritatem & Hæredes & Succeſſores omni patrocinio, amore & benevolentia boni Regis & ſupremi directiqve Domini, complecti, & in juribus, immunitatibus & privilegiis illorum, ſervare tenebimur & Succeſſores Noſtri tenebuntur,

 tur,

tur. Insuper qvoqve sicubi accidat, deficere aliqvando in masculo sexu lineam Friderico-Casimirianam, eum in casum Illustrissimis Principibus, Domino Ferdinando & Ferdinandinæ, Domino Alexandro, Illustrissimi olim Jacobi, in Livonia, Curlandiæ & Semigalliæ Ducis, filiis, earumqve Illustritatum Successoribus masculis ex lumbis Illustritatum earum legitime descendentibus, jus simultaneæ investituræ, secundum Jura Ducalia, prioresqve investituras a Serenissimis Prædecessoribus Nostris, DD. Poloniæ Regibus & Nobis, concessas, sartum tectumqve reservamus & conservamus, integrumqve earum Illustritatibus maneat, vigore Diplomatis primævæ subjectionis & cæterarum investiturarum ad exemplum Prædecessorum suorum, qvandocunqve locus & copia aperturæ feudi Ducatus Curlandiæ & Semigalliæ fuerit, modo memoratum feudum a Nobis & Serenissimis Successoribus Nostris, Regibus Poloniæ, uti naturalibus & directis Dominis, petere, Juramentum fidelitatis subjectionis præstare, modo successorio aggredi & plenarie, absqve tamen omni Ducatus dismembratione, possidere, omnibusqve juribus Ducalibus realiter frui, attamen ut & earum Illustritates ea fidelitatis & obseqvii officia, qvæ a futuris Vasallis reqviruntur, præstent & præstare obstricti sint. In qvorum omnium & singulorum fidem præsentes literas manu Nostra subscripsimus, & sigillis Regni Magniqve Ducatus Lithvaniæ muniri mandavimus. Datum Varsaviæ, die XXV. mensis Martii, anno Domini MDCLXXXIII. Regni vero Nostri anno IX. Præsentibus Reverendis in Christo Patribus, DD. Joanne Malachowski, Cracoviensi, Duce Severiæ, Stephano Pac, Vilnensi, &c.

XV.

Extractus Actorum Commissionis Regiæ,

Mitaviæ, mense Julio, anni 1717.

celebratæ,

Insertis juramentorum formulis, tam a supremis Consiliariis, qvam Capitaneis Majoribus & Minoribus, Duci præstandorum:

NOs Alexander Horain, Episcopus Samogitiæ, Stanislaus, Comes Dönhoff, Ensifer Regni Magniqve Ducatus Lithuaniæ, Dux Campestris, Jacobus, Comes in Schrzynno, Dunin, Regens Majoris Cancellariæ Regni, Braclaviensis Capitaneus, & Joannes Sigismundus de Wahlen, Vexillifer Districtus Grodnensis, S. R. Majestatis Succamerarius, Commissarii a S. R. Majestate, ex mente Constitutionis Novellæ, cum plena potestate ad Ducatus Curlandiæ & Semigalliæ deputati & assignati, post expeditas causas expulsionum, liqvidationum, Commissionum & alia accessoria Decreta prolata, qvorum separatum Protocollum, ut in causis privatorum, manibus Nostris subscriptum & ad Acta porrectum extat, decisaqve causa homicidii, G. olim Caroli Friderici Fircks, Capitanei Telsensis, conformando Nos Instrumento Commissionis Sacræ Regiæ Majestatis, ad exaudienda & trutinanda Gravamina publica Generosæ Nobilitatis Ducatus Curlandiæ & Semigalliæ S. R. Majestati & judicio Nostro Commissoriali porrecta & exhibita sub actu diei decimæ qvartæ mensis Julii, anno Domini millesimo septingesimo decimo septimo processimus. Qvibus exhibitis & lectis

pro

pro meliori judicii Noſtri informatione ante omnia ad revidenda Documenta, Gravamina G. Nobilitatis concernentia, in Camera Ducali exiſtentia, ſignanter diſpoſitiones œconomicas & Mandata Ducalia Commisſionesqve, Illuſtres ac Magnificos Regentem Cancellariæ Regni Majoris, & Vexilliferum Grodnenſem, abſentia unius non obſtante, e medio judicii Noſtri deputavimus, Officialesqve Cameræ Ducalis, ad comportanda eadem, ſub fide jurata adſtrinximus. Poſtmodum etiam Nobili Jacobo Biſelſtein, Advocato Aulico, qvatenus Mandata omnia Ducalia ſtatum publicum Ducatus concernentia, & particularia cum publicis connexionem habentia, literasqve, qvæ & qvales per G. Ordinem Eqveſtrem Gravaminibus ſuis ſpecificatæ ſunt, ſignanter ac eas literas, in qvibus expreſſum, ut præfatus Advocatus, Biſelſteinius, GG. Conſiliariis Regentibus tecte in omnibus, & cum projectis aſſiſtere, iisdemqve, ut eum in omnibus adhiberent, ejusqve conſilia ſeqverentur, ab Illuſtriſſimo Duce ſpecialiter injunctum eſt, ſub pœnis ad judicium noſtrum, comportaret & produceret, mandavimus, iisdemqve prout & Documentis Cameralibus, per eosdem Magnificos judicii noſtri Deputatos ſecrete reviſis, ad deciſionem eorundem Gravaminum condeſcendimus.

I. Exhibuit Nobis Generoſa Nobilitas Pacta primævæ ſubjectionis, ſub dato Vilnæ, die 28. Novembris A. 1561. & qvidem ex iis locum, in qvo Divus olim Sigiſmundus Auguſtus, Illuſtriſſimis Ducibus Curlandiæ Ducalem titulum, *ad inſtar Ducis Pruſſiæ*, cum omni Dignitate, Inſignibus & Privilegiis Ducalibus tribuit, tum Privilegium, ſub dato Vilnæ, feria ſexta poſt Feſtum S. Catharinæ, A. 1561. G. Nobilitati datum, in qvo habetur, qvod Illuſtriſſimus olim Gotthardus ſe & Provinciam ſuam ditionibus dominiiſqve ejusdem S. R. Majeſtatis,

ad

ad instar terrarum Prussiæ, adjunxit & incorporavit; porro Investituras Ducum Curlandiæ cum superioribus per omnia convenientes, deinde Diploma Investituræ Duci Prussiæ, Joanni Sigismundo, ejusqve fratribus præscriptum, in qvo hæc continentur verba: *Quoties se obtulerit casus devolutionis de uno in alium Marchiones, & eorum legitimos feudi hæredes masculos, debebunt illi, & quisque eorum debebit, Nobis & Successoribus Nostris, Regibus & Regno Poloniæ, intra tempus debitum, subjectionem & feudi obligationem, & homagium præstare, neque prius feudum Ducatus Prussiæ accipere, aut acceptum adire poterunt aut debebunt, quam Nobis, Successoribusve, Regibus ac Regno Poloniæ, in propria persona juramentum fidelitatis præstiterint;* Posthæc Instrumentum simultaneæ investituræ de A. 1633. in qvo Dux Jacobus, cum Patruo, Duce Friderico, simul investitus, & ad contactum vexilli admissus fuit, & consensum Regium ex Responso Comitiali A. 1638. obtentum, cui consensui hæc conditio vel clausula fuit adjecta: ut *antequam realem possessionem illius Ducatus apprehenderit jurisdictionemqve exercere cæperit, is idem Dux, Jacobus, primum Nobis & Reipublicæ homagium solenni ritu feudali, ex vi pactorum eo in loco, ubicunque pro eo tempore cum Aula Nostra feliciter constituti fuerimus, præstare teneatur;* Præterea paragraphum Formulæ Regiminis 44. qvi hujus tenoris est: Novus Princeps Curlandiæ & Semigalliæ jurejurando, qvod Sacræ Regiæ Majestati & Reipublicæ præstabit, se qvoqve Nobilitatis universæ, omnium præterea & singulorum privatorum, libertates, privilegia, jura, immunitates, sartas atqve tectas servaturum contestabitur, ut & §. 4tum Form. Regiminis, in qvo habetur: qvodsi Principem abesse a Ducatu contigerit, Consiliarii supremi Jurisdictionem, & Judicia exercere, mandata & sententias, aliaqve omnia administrationis munia, Principis nomine

mine expedire, & promulgare tenentur; deniqve declarationem ac decisionem de Anno 1642. ubi seqventia verba leguntur: Sede vero vacante, vel Principe ex Ducatu absente, vel minorenni existente, soli qvatuor Supremi Consiliarii, juxta Formulam Regiminis, Ducatum, omniaqve Gubernationis munia, etiam in indicendo Conventus, administrabunt; Qvibus exhibitis G. Nobilitas conqvesta est, qvod his omnibus non obstantibus, Dux Illustrissimus, Ferdinandus, licet homagium non præstiterit, in S. R. Majestatis & Reipublicæ, nec non Ordinis Eqvestris, præjudicium, Regiminis munia suscepit, & ad se Gedanum traxit, multa præjudiciosa, nullo Consiliario, nisi Secretario superiore, Joanne Christiano Hölchero præsente, contra Leges fundamentales, rescribendo, expediendo atqve promulgando, Conventum vero publicum secundum Formulam Reg. & Commissionem de A. 1642. a Consiliariis supremis indicendum, denegando. In contrarium G G. Consiliarii, Regentes, coram Nobis comparentes, exhibuerunt Literas Rescripti S. R. Majestatis, de dato Varsaviæ, die 24. mensis Martii, A. 1713. concessas, sigillo Regni majori & M. D. Lith. communitas, quibus S. R. Majestas prout in anno 1712. ex causa prætensæ debilis valetudinis Illustrissimi moderni Ducis, Ferdinandi, homagii præstationem, & Investituræ receptionem, ad cadentiam seqventium Comitiorum differre, ita qvoqve ad proxima immediateqve futura Comitia prorogare, & sibi G. G. Consiliariis, & Officialibus, totiqve Nobilitati, ut juxta præscriptum Statutorum & Formulæ Regiminis, eidem Illustrissimo Duci obtemperent, jurisdictioni ejus in omnibus pareant, demandare dignata est.

Nos Commissarii S. R. Majestatis eo in consideratione habito, qvod ex Pactis primævæ subjectionis, aliisqve Documentis

tis exhibitis, Formula Regiminis, Commiſſorialiqve deciſione, Illuſtriſſimus Dux, Ferdinandus, ante homagium Sacræ Regiæ Majeſtati præſtitum, adminiſtrationem Ducatus ſubire, & jurisdictionem exercere, vel prætendere, nullo modo valuerit, ſed qvod ſede vacante, vel Principe abſente, omnia adminiſtrationis munia ſolis Conſiliariis Supremis attributa ſint, & qvamvis prorogationem præſtandi homagii in Literis Reſcripti S. R. Majeſtatis Illuſtriſſimus Dux obtinuerit, ea tamen extra Ducatum abuti non potuit; Itaqve ob concurrentiam ejusdem prorogationis S. R. Majeſtatis, in qva etiam aſſignatus ad præſtandum homagium terminus, jam a tot annis per Illuſtriſſimum Ducem prætermiſſus, cauſam qvidem hoc in puncto cum toto ſuo effectu ad Judicia Relationum propriarum S. R. Majeſtatis remittimus, terminumqve Partibus, dum & qvando, Judicia eadem, præviis Innoteſcentialibus, in cadentia ſolita Juridicæ Curlandicæ celebrabuntur, conſervamus peremtorium. Ut autem omnia devia, juxta Conſtitutorium Regium nobis clementiſſime conceſſum, in priſtinam orbitam redigamus, in futurum, juxta Form. Regim. deciſionemqve Commiſſorialem inhærendoqve Legi publicæ Conſtitutionis anni 1683. eo in caſu, qvando Princeps juramentum fidelitatis homagiumqve in propria perſona ſua nondum præſtiterit, Generoſam Nobilitatem ab obedientia Principibus inveſtitis præſtari ſolita pro abſoluta declaramus. Cæterum providendo, ne in abſentia Illuſtriſſimi Domini Ducis moderni majores & periculoſiores abuſus, ob uſurpatam ſibi extra Ducatus præfatos jurisdictionem prætenſam, eveniant, Formulamqve Regiminis ad executionem deducendo, caſſatis & pro nullis declaratis qvibusvis Mandatis, Reſcriptis, & Commiſſionibus Ducalibus, Gedano in anteceſſum & ad præſens ad qvascunqve perſonas transmiſſis, uti juribus

Ducatus contrariis, eidem Illuſtriſſimo Domino Ferdinando, Duci, autoritate S. R. Majeſtatis & Reipublicæ, ne prætenſam extra Ducatum jurisdictionem exerceat, & continuet, G. G. qvoqve Conſiliarii Regentes, Capitanei majores vel minores, aliiqve Officiales, etiam Camerales, Mandata & Commiſſiones ejusmodi Ducales ad ſe transmiſſas, ſive transmittendas, ullo modo exeqvi audeant, ſed eo in paſſu ad GG. Conſiliarios ſupremos, Regentes, recurrant, ſub pœnis privationis officiorum & incapacitatis in futurum ad ea aſſeqvenda, interdicimus & ſerio inhibemus. Ac ut interim & in futurum abſente extra Ducatum Principe & in aliis caſibus in Formula Regiminis expreſſis G. G. ſupremi Conſiliarii Regentes, per Nos, inferius conſtituti & approbati, ſive in futurum eligendi & conſtituendi, jurati, Jurisdictionem & Judicia exerceant, mandata & ſententias, aliaqve omnia adminiſtrationis & gubernationis munia, Principis nomine, qvamdiu in vivis erit, expediant, Judicia ſua ſtatis temporibus inchoari curent, & ſeſe juxta præſcriptum juramenti per Nos inferius præſcripti, Formulæ Regiminis paragrapho decimo, decimo qvarto, & decimo qvinto, in jure dicendo & adminiſtranda Juſtitia gerant eaqve obſervent, ita, ut eorum Jurisdictio, etiam mortuo, abſente, vel minorenne infirmoqve, Principe indiviſa, atqve in ſolidum cenſeri debeat, & juxta §. qvartum Formulæ Regiminis uno pluribusve eorum defunctis, vel legaliter abſentibus, reliqvi munere ſuo plene fungantur & in locum defunctorum a reliqvis Conſiliariis ſupremis, intra menſem, alii ex præſcripto Legum eligantur & conſtituantur, ſalvo & reſervato G. Nobilitati, in caſum neglectus ad S. R. Majeſtatem recurſu, declaramus, & ſub pœnis, contra negligentes Officiales in Jure ſancitis, per G. Inſtigatorem Regni & M. D. Lithvaniæ, ad inſtantiam

tiam & delationem cujuscunqve ex Nobilitate in Judiciis S. R. Majeſtatis decernendis & irremiſſibiliter extendendis, demandamus; *Jure tamen S. R. Majeſtatis & Reipublicæ per omnia & in omnibus ſalvo.*

XIII. Conſeqventer & in decimo tertio, attenta notorietate facti ex libera judiciali agnitione G. Cancellarii, Sacken, qvod ipſe Gedani Illuſtriſſimo Domino Ferdinando, Principi, ſuper officium Cancellariatus, juramentum A. 1713. præſtitit, per literaſqve ejuſdem Illuſtriſſimi Ducis confirmatus & in pacifica poſſeſſione ſit, & alterius G. Philippi Everhardi de Brüggen, Capitanei majoris Tuckumenſis, qvod ipſe juramentum ſuper Capitaneatum Tuckumenſem, in ſcriptis eidem Illuſtriſſimo Gedanum tranſmiſerit, nec non confeſſione GG. Landhofmaiſteri & Cancellarii facta, qvod qvidam Capitaneorum juramenta in ſcriptis Gedanum tranſmiſerint, conſiderata, ejuſmodi omnia juramenta, uti juribus Formulæ Regiminis & praxi antiqvæ, ac directo dominio S. R. Majeſtatis & Reipublicæ præjudicioſa & contraria, abrogamus & pro nullis declaramus, & ne in futurum Officiales juramenta extra Ducatum præſtent, vel eadem illic, aut in Ducatu, in literis exhibeant, ſub privatione officiorum inhibemus. Verum qvoniam GG. ſupremi Conſiliarii Regentes, abſente extra Ducatum Principe, nomine Principis, & in aliis caſibus in Formula Regiminis ſpecificatis, ſoli omnia adminiſtrationis munia & jurisdictionem exercere debent, ideo, qvatenus in futurum omnes Officiales, præſente in Ducatu inveſtito Principe, coram Principe, præſentibus Conſiliariis, ſede vero vacante & necdum inveſtito Principe, coram ſolis iisdem GG. Conſiliariis duntaxat, S. R. Majeſtati, Reipublicæ, & legitime inveſtitis Principibus, in loco Reſidentiæ Ducalis ſolito, jurare debeant, ſtatuimus & declaramus, Rotamqve

qve Juramenti, Principibus investitis præstandi, præscribendam esse, duximus, & præscribimus in hunc, qvi seqvitur, modum:

Formula Juramenti Supremorum Consiliariorum:

EGo N. N. juro & promitto Illustrissimo Principi ac Domino, Domino Ferdinando, in Livonia Curlandiæ & Semigalliæ Duci, Principi ac Domino meo gratiosissimo, ejusqve legitime investitis hæredibus & successoribus, sub dominio directo Sacræ Regiæ Majestatis Poloniæ & M. Ducis Lithvaniæ, (qvamprimum homagium tam modernus Illustrissimus Dux, qvam hæredes & successores ejus, præstiterint, & renovationem investituræ realem consecuti fuerint,) *Ducibusqve non amplius superstitibus, Serenissimo ac Potentissimo Principi ac Domino, Domino Augusto Secundo, Regi Poloniæ & Magno Duci Lithuaniæ, tanqvam meo non solum Domino supremo & directo, qvi S. R. Majestas jam est, sed etiam tanqvam meo tunc immediato, & plane perfecto, naturali Domino, & Reipublicæ, me, uti alii Regni incolæ, subjectum fidelem & deditum futurum & mansurum*, suæ Illustritatis commoda qvæsiturum, mala aversurum, damnaqve præcauturum; Et postqvam a sua Illustritate Consiliarius supremus constitutus sum, me in consiliis, legationibus, & aliis mihi commissis negotiis, loqvendo & scribendo diligentem, sollicitum & solertem, exhibere, ejusdem Illustritatis regalia, honorem & reputationem, jus & jurisdictionem, qvod per me fieri poterit, defendere, tum ordinationes & privilegia, secundum Pacta subjectionis, Formulam Regiminis, Decisiones Commissoriales, jura & consuetudines, tam omnium

in genere incolarum, qvam uniuscujusvis in ſpecie, omni cum fidelitate debite obſervare, & qvantum in me eſt, non permittere velle, ut peregrini vel exotici, ad conſilia & conſultationes publicas, ſive clam, ſive palam, admittantur, imo multominus ego eosdem ad eas admittam vel introducam, contra vero in id incumbam, ut omnia, juxta leges cardinales & horum Ducatuum obſervantiam, ſolummodo ab indigenis diſponantur atqve adminiſtrentur. In caſu vero, ſi præter opinionem aliqvid, qvod huic contrarium eſſet, fieret, vel intenderetur, volo ego ſuam Illuſtritatem deſuper, tenore Formulæ Regiminis, tempeſtive & cum fundamento præmonere, omnemqve operam navare, ut id intermittatur, qvæ ſi omnia absqve effectu eſſent, ad Sacram Regiam Majeſtatem, *utpote Dominum meum directum*, recurram, atqve vi hujus mei Juramenti præſtiti, debite, fideliter ac ingenue, omnia deferam, & remedium qværam, cæterum vero ſuæ Illuſtritatis arcana, & qvidqvid mihi concreditum fuerit, tum & qvod in habito conſilio per modum ſuffragii, vel aliter, concluſum eſt, nemini revelabo, ſed ad cineres uſqve reticebo; In cauſis & actibus judicialibus, item in decernendis libellis ſupplicibus, tantum juri & juſtitiæ ſanctæ me conformabo, & ad normam regulamqve ejus, abſqve perſonarum, munerum & donationum reſpectu, omnes cauſas decidam & definiam, tandemqve omnia perficiam, qvæ fideli Conſiliario Supremo incumbunt, eumqve obligant, omnia ingenue, ſine reſervatione: Ita me DEUS adjuvet & S. ejus Evangelium.

Principi autem inveſtito ita jurabunt Conſiliarii Regentes, ſcilicet omiſſa clauſula: *Qvamprimum* &c. *fuerint*.

Similiter GG. Capitanei majores & minores, qvos ſub eadem præcautione, qva GG. Conſiliarios ſupremos, in officiis ſuis conſervamus, jurabunt ejusmodi rota:

For-

Formula Juramenti Capitaneorum Majorum & Minorum:

EGo N. N. promitto & juro Illustrissimo Principi ac Domino, Domino Ferdinando, in Livonia Curlandiæ & Semigalliæ Duci, Principi ac Domino meo gratioso, ejusdemqve rite investitis hæredibus, & successoribus, sub directo dominio S. R. Majestatis Poloniæ, & Magni Ducis Lithvaniæ, (qvamprimum homagium tam modernus Illustrissimus Dux, qvam hæredes & successores ejus, præstiterint, & renovationem Investituræ realem consecuti fuerint) *Ducibusqve non amplius superstitibus, Serenissimo ac Potentissimo Principi ac Domino, Domino Augusto Secundo, Regi Poloniæ & M. D. Lithvaniæ, Ejusqve in Regno Successoribus, Serenissimis Regibus Poloniæ, & Magnis Ducibus Lithvaniæ, tanqvam meo non solum Domino supremo, directo, qvi S. R. Majestas jam est, sed etiam tanqvam meo tunc immediato, & plane perfecto, naturali Domino, & Reipublicæ, me, uti alii Regni incolæ, subjectum fidelem & deditum futurum & mansurum,* suæ Illustritatis commoda qvæsiturum, damnaqve præcauturum; Et postqvam a sua Illustritate Capitaneus major N. constitutus sum, in legationibus & commissionibus, in & extra Ducatum, me fidelem & diligentem exhibebo, arcana mihi concredita, ad aram usqve reticendo, nec sine jussu suæ Illustritatis cuipiam propalando; Claves & arcem N. mihi, in Capitaneatu delato majori, commissas, caute observabo, nec, sine Illustritatis suæ ejusqve successorum voluntate, cuiqvam extradam; In judiciis solummodo ad sanctam Justitiam respiciam, & secundum ejus normam & regulam, absqve respectu personarum, munerum, seu largitionum, omnes causas decidam & discernam

nam, constitutiones & privilegia horum Ducatuum, secundum Pacta Subjectionis, Formulam Regiminis, decisiones commissoriales, jura & consvetudines, tum omnium incolarum in genere, tum & uniuscujusvis in specie, omni fide, & semper, manutenebo & observabo, & qvantum in me est, tenore instructionis, per me in scriptis acceptæ, pro optima mente & facultate mea, diligenter & fideliter peragam & perficiam, nec omittam, qvod fidelem Capitaneum & Ministrum decet, eiqve convenit, sine reservatione, aut periculo: Ita me DEUS adjuvet, & S. ejus Evangelium.

Conclusio:

CUm igitur omnia, qvæ ita a Nobis, autoritate Commissoriali, in perpetuum legis vigorem, constituta sunt, Pactis primævæ subjectionis, Formulæ Regiminis, Decisioni Commissoriali de Anno 1642. aliiqve Juri publico, justitiæ & æqvitati, conformia, & qvæcunqve devia, ex tenore Constitutionis Novellæ & Constitutorii Regii, per ea in priorem orbitam redacta sunt; itaqve confirmando simul omnia ac singula, qvæ in moderno & prioribus Conventibus publicis Regiis, cum GG. Consiliariis Regentibus a. G. Ordine Eqvestri conclusa, ut qvævis in ea contenta ac ordinata accurate observentur, iisqve plenissime satisfiat, & ne ab eis ullo in puncto recedatur, vel præjudiciosi qvid in Generosum Eqvestrem Ordinem, vel ad calculationem Deputatos, vel Generosi Ordinis Eqvestris Plenipotentiarios, & Patronos causæ, contra Protectoriales literas S. R. Majestatis (qvas hisce renovamus & reassumimus) in securitatis publicæ eversionem, decisionumqve Nostrarum derogationem, suscipiatur, sed juxta illa Protectorialia S. R. M. tam generalia, qvam specialia, eaqve, qvæ a nobis consecuta & ordi-

ordinata ſunt, univerſis & ſingulis omnimoda ſecuritas præſtetur, neqve in ſpecie ab Illuſtriſſimo Duce, vel Succeſſoribus ejus, huic contrarium aliqvid fiat, aut attentetur, eidem vel iisdem, ſub amiſſione feudi, & GG. Conſiliariis Regentibus, ut talia ſollicite præcaveant, atqve ſerio avertant, nec ulla ratione admittant, ſub confiſcatione bonorum, aliisqve graviſſimis S. R. Majeſtatis arbitrariis pœnis, ſuper iis irremiſſibiliter extendendis, cæteris vero Officialibus, & qvibuscunqve aliis, ne operam præſtent, ut ejusmodi eveniant, ſub pœna infamiæ ac colli, S. R. Majeſtatis & Reipublicæ nomine & autoritate, ſerio præcipimus, mandamus, inhibemus, & ſtatuimus.

Limitatio Actus Commiſſionis S. R. Majeſtatis:

QVoniam autem varii Bonorum Ducalium, reluitioni obnoxiorum, poſſeſſores ſuperſunt, qvi ſatisfaciendo Decreto Noſtro jura ſua deducere parati fuerunt, Nobis vero legalitates Noſtræ, & varia ac graviſſima negotia non permittunt, eos jam admittere, præterea nonnulla Generoſis Conſiliariis Regentibus, atqve Generoſo Ordini Eqveſtri, commiſſa ſunt, qvæ reviſione noſtra & finali deciſione indigent, imprimis ratione teloniorum, & ordinationum polititicarum civitatenſium, diverſorum qvoqve deſiderio, in liqvidandis calculationibus, ſatisfieri non potuit, atqve inſuper neceſſitas ac rei ſtatus efflagitat, ut adhuc alia qvædam expediantur, & in ordinem redigantur, qvæ omnia hac vice ad finem perduci neqveunt; Ideo hunc terminum pro Commiſſionis actu concluſive expediendo limitandum, differendum ac prorogandum eſſe, duximus, uti qvidem effective & realiter limitamus ac prorogâmus, ac terminum

minum ejusdem actus reassumptionis pro die 20. Maji in anno proxime venturo 1718. assignamus & determinamus, interea vero omnes bonorum Ducalium possessores a pœna in Decretis, ratione producendorum jurium ad bona Ducalia latis, interposita absolvimus, *Generosisqve Consiliariis Regentibus, ut reditus & proventus Ducatuum sedulo connotari faciant, de iisqve in futurum rationes reddant*, ac ea, qvæ ipsis ac G. Ordini Eqvestri commissa sunt, ad finem perducant, Generosi vero ad calculandum Deputati cum qvibusvis desiderantibus calculent & liqvident, & partes ad judicium Nostrum remittant, statuimus & mandamus.

(L.S.) Stanislaus, Comes Dönhoff, Dux Campestris Exercitus M. D. Lithuaniæ, Ensifer Regni, Neocorcinensis, Masoviensis Capitaneus, S. R. Majest. & Reipublicæ Commissarius.

(L.S.) Jacobus, Comes in Skrzynno Dunin, Regens Regni Cancellariæ, Capitaneus Braclaviens. S. R. Majest. & Reipubl. Commissarius.

(L.S.) Joannes Sigismundus de Wahlen, Vexillifer Districtus Grodnensis, Succamerarius & Commissarius S. R. Majest. & Reipublicæ.

Josephus Kolinski, Pocillator Braclaviensis, Commissionis S. R. Majestatis Secretarius Juratus.

XVI.

Extractus Conſtitutionis Grodnenſis, de Anno 1726.

Inſtrumenta Pactorum primævæ ſubjectionis, Incorporationis & Formulæ Regiminis, denuo corroborantis:

Qvandoqvidem ſecundum communem experientiam omnes gentes & dominia congregata, & coadunata in unum ſub uniformi Regimine corpus, multo magis eſſe ſolent potentiora & feliciora, ad mutuam defenſionem & conſervationem, qvam diviſa; igitur inhærendo pactis æternis ſubjectionis & incorporationis abſolutiſſimæ & pleniſſimæ, ſine ulla minima reſervatione, libere, rite ac legitime, ab utrinqve ſtabilitis & jurata fide confirmatis, tum conformando ſeſe ad Conſtitutionem anni 1589. deficiente ſtirpe maſcula moderni Celſiſſimi Ducis, Ferdinandi, ex linea Kettleriana procedentis, ſalvis per omnia juribus, poſſeſſionibusqve & prærogativis ejusdem Ducis, qvousqve ſupervixerit, (*cui homagium, diſpenſando Conſtitutionem anni 1683. ob reſpectum provectæ ætatis, & ſingularia erga Rempublicam merita, etiam per Legatum ſuum præſtare, permittimus, hoc tamen præcauto, qvod id ſervire neqveat ſucceſſoribus ejus, in qvantum ex lumbis illius directe deſcendentes exiſtere deberent*) præfatum Ducatum Curlandiæ & Semigalliæ, antiqvitus incorporatum & adjunctum ad corpus Reipublicæ, cum omnibus attinentiis & contingentibus ſuis antiqvis, ad Regnum Poloniæ & Magnum Ducatum Lithvaniæ adjungimus & incorporamus, pro mutuis & indiviſis incolis Regni, & M. D. L. prius ſuſceptos, ſuſcipimus, cum juribus, privilegiis & libertatibus illis antea conceſſis, ad omnia jura, honores, prærogativas-

rogativas & libertates, Regni & M. D. L. admiſſos pariter admittimus, mutuis viribus, auxiliis, exercitibus, totius Reipublicæ contra omnes uſurpationes & qvosvis inſultus hoſtiles protegere, defendere & intercedere, appromittimus. Inſuper prout omnem prorſus novi Principis infeudandi ſubſtitutionem, poſt fata ſuprafati Ducis, Ferdinandi, in caſum deficientis ſtirpis maſculæ, in perpetuum excludimus & abrogamus; ita attentata præterita omnia contra Inhibitiones, Mandata & Reſcripta Noſtra, ſignanter uſurpati indebite conventiculi, cum omnibus actibus, ſeſe in materiam eventualis ſucceſſionis ingerentibus, tollimus, caſſamus, & illa pro invalidis, ex vitio nullitatis & inſubſiſtentiæ materialis, *ſtante pro nunc directo & ſupremo, in futurum autem utili & immediato Noſtro & Reipublicæ*, dominio, perpetua & irrevocabili lege declaramus. - - - Liberum exercitium Auguſtanæ Confeſſionis, cum qvo ad Rempublicam acceſſerunt & per pacta ſubjectionis ſibi caverunt, cum pacifico uſu & conſervatione ejusdem Religionis, cæteriſqve illius ritibus, ſecundum obloqventiam duntaxat eorundem pactorum, aſſecuramus, certificando, qvod ad mutationem illius neminem per vim cogi permittemus, ſalvo jure & uſu Religionis Romano-Catholicæ, in Formula Regiminis præſcripto, & per Conſtitutionem anni 1678. approbato. Tum ut deſideria & repræſentationes omnium Statuum provinciæ Curlandiæ, ratione domeſtici Regiminis & aliorum ſancitorum ad bonum ordinem & internum Regimen neceſſariorum, eo facilius & efficacius accommodari, pro juſtitia, commodo & utilitate univerſorum, valeant, cum conſenſu omnium Statuum, Commiſſarios Noſtros, ex Senatorio Ordine, Reverendum in Chriſto Patrem, Chriſtophorum in Stupow Szembek, Epiſcopum Warmienſem & Sambienſem, Magnificos Caſimirum de Koſielsko

 Oginski,

Oginski, Trocensem, Stanislaum Dönhoff, Polocensem, Ducem Campestrem exercituum Magni Ducatus Lithvaniæ, Stanislaum Chomentowski, Mazoviæ, Ducem Campestrem exercituum Regni, Palatinos &c. - - non tantum propter exauditionem, examinationem & accommodationem, eorundem desideriorum & repræsentationum, vero etiam primario & principaliter, propter formandam & constituendam Ordinationem ejusdem Provinciæ, tum Districtus Piltinensis, respective qvoad jura sua, item propter amotionem & pacificationem qvaliumcunqve discordiarum, exorbitantiarum, controversiarum & prætensionum, domesticarum & externarum, cum potestate judicandi & puniendi &c. - - - Qvibus, Reverendo, Magnificis & Generosis, Commissariis ut Magnifici exercituum Duces, utriusqve Gentis, assistentiam militarem, pro exigentia necessitatis, salva disciplina militari, per novellam legem præscripta, sub Commenda Regimentariorum idoneorum, tam ex Regni, qvam ex Magni Ducatus Lithvaniæ, exercitibus præstent, autoritate præsentis Conventus injungimus; Qui Regimentarii cum divisionibus in Commenda sua existentibus in limite Curlandico sese locare, & ulteriora Mandata eorundem Reverendi, Magnificorum & Generosorum, Commissariorum exspectare debent. Præfatos autem Reverendum, Magnificos & Generosos, Commissarios Nostros obstringimus, ut hanc Commissionem primo vere, assignato termino per Innotescentiales suas, & proprio ære pro illa profecti, sine ullo sumtu, etiam ex senatus-consilio assignando, neqve thesauri, neqve Palatinatuum, salvo beneficio suspensionis causarum earum in qvovis subsellio expediant &c. - - - Incolis qvoqve totius Ducatus Curlandiæ, Semigalliæ, ac Districtus Piltinensis in genere, & in specie omnibus, correspondentias, practicationes, negotiationes omnes

cum

cum exteris Potentiis, & qvasvis innovationes, machinationes, vel molimina, in præjudicium Jurium Reipublicæ, ſub qvocunqve titulo, colore vel prætextu, directe ſive indirecte, autoritate publica modernorum Comitiorum, ſub pœnis criminis læſæ Majeſtatis, perduellionis, cæteriſqve rigoribus in Legibus deſcriptis, inhibemus. Qvibus rigoribus omnes fautores, cooperatores & aſſiſtentes, ſi qvi in futurum reperientur, cujuſcunqve Nationis, ſubjacere debent in Judiciis Comitialibus.

XVII.

Inhibitio Sacræ Regiæ Majeſtatis, per Generoſum Nakwaski, Capitaneum Ciechanovienſem, Statibus Curlandiæ, ne divulgatum Congreſſum particularem celebrare præſumant, intimata.

AUGUSTUS II. &c. Generoſis Supremis Conſiliariis, Majoribus & Minoribus Capitaneis, ac univerſæ Nobilitati Ducatuum Curlandiæ & Semigalliæ fideliter Nobis dilectis, Gratiam Noſtram Regiam: Generoſi fideliter Nobis dilecti: Cum non ſolum publica fama divulgatiqve rumores, ſed certæ qvædam relationes, id deferant, acſi Fidelitates Veſtræ, prætextu abſentiæ in hactenus a Ducatibus Ducis, Ferdinandi, homagiiqve ejus non redditi, ſeu alia qvavis palliata ratione, meditentur & moliantur, contra Jura Supremi Dominii Noſtri & Reipublicæ, Conventum privatum ſibi inſtituere & formare velle; idqve, non obſtante Noſtra remiſſione & ſuſpenſione deſideriorum Fidelitatum Veſtrarum ad imminentem Comitiorum Regni Generalium Grodnæ celebrandorum reaſſumptionem, ex ea potiſſimum

tiſſimum cauſa, qvod priori gratioſa conceſſione Noſtra & indictione Conventus, Fidelitates Veſtræ ſint abuſæ, præſcriptum tenorem Vniverſalium Literarum Noſtrarum excedendo, & in materiam ſucceſſionis eventualis ſeſe indebite ingerendo. Proinde Fidelitates Veſtras ſuper præmiſſis jam antecedenter legitime monitas, præſentibus literis Noſtris iterum ſerio monemus, ipſisqve inhibemus & interdicimus, ne qvidqvam hac in re attentare, neqve aliqvem Conventum particularem privatum ſibi inſtituere & indicere, ſub qvocunqve prætextu, præſumant. Qvem qvidem Conventum conceſſimus & concedere poterimus, prævia certitudine, Fidelitates Veſtras facultatem Noſtram in celebratione hujuſmodi Conventus non exceſſuras. Si qvid autem contra haſce prohibitiones Noſtras, Fidelitates Veſtræ attentaverint, id totum, uti Pactis ſubjectionis, Conſtitutionibus & Juramento fidelitatis, contrarium, pro irrito, invalido & non exiſtenti, declaramus. Renovamus inſuper Noſtras attentiores inhibitiones, ne Fidelitates Veſtræ in tam magni momenti publico negotio eventualis horum Ducatuum Principis vacantiæ, & ad Regnum Noſtrum devolutionis, aliqvas cointelligentias & correſpondentias, præcipue cum exteris, habere & qvidqvam attentare audeant. Facturæ ſunt præmiſſa Fidelitates Veſtræ, pro Gratia Noſtra, pro fidelitatis ſuæ juratæ exacta obſervantia, & ſin ſecus qvidqvam attentare audeant, ſub gravi indignatione Noſtra irremiſſibiliqve Legum rigore. Datum Varſaviæ, die 8. Menſis Junii, Anno Domini MDCCXXVI. Regni vero Noſtri XXIX. anno. AUGUSTUS REX. Locus Sigilli Minoris Regni. Locus Sigilli Minoris M. D. L. Andreas Franciſcus Cichocki, Sacræ Regiæ Majeſtatis Secretarius. *mpp.*

XVIII.

Documentum Intimatæ Inhibitionis ſupradictæ &c.

MAgnificum ac Generoſum Dominum, Joſephum NAKWASKI, Capitaneum Ciechanovienſem, inhibitorium qvoddam, a Sacra Regia Majeſtate Poloniæ, Domino Noſtro Clementiſſimo, de dato Varſaviæ, die 8. Menſis Junii, Anno milleſimo ſeptingenteſimo vigeſimo ſexto, de non inſtituendis & non indicendis Conventibus, nec de ſe non ingerendo in materiam ſucceſſionis eventualis, die 21. Junii, anni currentis, Magnificis ac Generoſis Dominis Conſiliariis Supremis Regentibus, ad manus proprias tradidiſſe, idqve Reſcriptum Regium hodierno die pro ulteriori cuſtodia, qvotieſcunqve viſum fuerit neceſſe, ut & iterum producatur, Cancellariæ Ducali commiſſum eſſe, ad mandatum, ſub appreſſione Sigilli Ducalis, ſubſcriptioneqve hac ſolita, teſtor. Datum Mitaviæ, die vigeſima qvarta Junii, Anno 1726.

XIX.

Mandatum pro Judiciis Curlandicis in Menſe Octobri proximo Grodnæ celebrandis &c.

AUGUSTUS II. DEI Gratia REX Poloniæ &c. Vobis Generoſis Henrico Chriſtiano de Bricken, Land-Hoff-Magiſtro, Joanni Henrico Keyſerling, Cancellario, Adamo Kosciuſzko, Oberburgrabio, Eberhardo Philippo de Bruggen, Land-

Mare-

Mareſchalco, Conſiliariis Supremis, tum Joanni Erneſto de Ronne, Selburgenſi, Caſimiro Chriſtophoro Brackel, Mitavienſi, Carolo Firks, Goldingenſi, Philippo de Hahn, Tucumenſi, Majoribus & aliis Minoribus Capitaneis, nec non Joanni Chriſtiano Sacken, prætenſo Mareſchalco cujusdam Congreſſus, N. Korff, Plenipotentiario Provinciali, Georgio Rek, Friderico Klopman, Joanni Erneſto Nolde, Ottoni Eobaldo Sacken, Friderico Caſimiro Heyking, Henrico Joanni Brincken, Benedicto Henrico Heyking, Eberhardo Chriſtophoro de Medem, Erneſto Adolpho Heyking, Hermanno Carolo Keyſerling, Gotthardo Friderico Lœben, Gedeoni Saſs, Ottoni Chriſtophoro Höven, Erneſto Chriſtophoro Bruggen, Erneſto Joanni Buttler, Georgio Chriſtophoro Medem, Sigiſmundo Korff, Chriſtophoro Wiegant, Wilhelmo Henrico Schröders, Franciſco Chriſtophoro Nottelhorſt, Friderico Aſcheberb, Carolo Joanni Erneſto Ronne, Joanni Funk, Henrico Joanni Gothus, Hieronymo Brunckein, Friderico Sacken, Georgio Joanni Keyſerling, Nicolao Vilhelmo Stempel, Deputatis, totiqve Eqveſtri Ordini Curlandiæ & Semigalliæ Ducatuum, ſeu ex Vobis principalibus motoribus, autoribus & primariis ad infraſcripta attentata concurrentibus cooperatoribus, de nominibus & cognominibus in termino ſpecificandis, qvos magis actio præſens afficit de perſonis, cauſa infraſcripta, boniſqve veſtris, generaliter omnibus mandamus, ut coram Nobis & Judicio Relationum Noſtrarum propriarum, Grodnæ, aut ubi tunc cum Curia Noſtra feliciter conſtituti fuerimus, a poſitione præſentis citationis Noſtræ in ſex ſeptimanis, ſeu alias futura Juridica Cauſarum Curlandicarum, menſe Octobri, anno præſenti, celebranda, tum, dum & qvando cauſa præſens ex Regeſtro publico Judiciali acclamata ad judicandum inciderit, & qvidem

vos,

Vos, qvi ſupra ſpecificati de cognominibus eſtis, perſonaliter, alii vero per legitimos Plenipotentes & mandatarios, peremptorie compareatis, ad Inſtantiam Generoſorum Inſtigatorum & Vice-Inſtigatorum Regni & M. D. L. pro munere officii ſui publici agentium Actorum, qvi vos hac unica eaqve peremptoria citatione, uti in cauſa Juris Publici citant, pro eo, qvia vos, contra Pacta publica ſubjectionis ſuæ cum Sereniſſimo Divæ memoriæ, Sigiſmundo Auguſto, Rege Poloniæ, Anteceſſore Noſtro, anno 1561. inita, & contra juramentum fidelitatis, Nobis, uti ſupremo & directo Ducatuum Curlandiæ & Semigalliæ Domino, præſtitum, atqve contra diſpoſitionem juris communis & Diplomatis Incorporationis horum Ducatuum Regno Poloniæ, anno 1569. in Comitiis Regni Generalibus Lublini factæ, tum contra Conſtitutionem Regni anni 1589. procedendo, & Jus qvoddam electionis ſibi Ducis Curlandiæ & Semigalliæ arrogando & uſurpando, & ex directo Dominio Noſtro & Reipublicæ ſe eximendo, necdum exſtincta ſtirpe Illuſtriſſ. magnæ recordationis Ducis, Gotthardi, & filiorum ejus, Friderici Wilhelmi, ac Illuſtriſſimo Ferdinando, Duce Curlandiæ & Semigalliæ, ex hac ſtirpe procedente, in vivis exiſtente, poſt cujus ſtirpis deceſſum modo primum hi Ducatus, juxta præſcriptum memoratæ Conſtitutionis Regni 1589. ad Regnum Poloniæ & M. D. Lithuaniæ redire & illis conjungi debent, æqvaliter prout Provincia Livoniæ coadunata eſt, in qva Provincia hi Ducatus exiſtunt, auſi eſtis & inconſiderate, imo temere præſumpſiſtis, expreſſas inhibitiones Noſtras in literis Noſtris ad vos datas, vobiſqve legitime intimatas, contemnendo, & ipſiusmet Illuſtriſſimi Ducis inhibitiones literatorias levipendendo, imo nomen ejuſdem Illuſtriſſimi Ferdinandi Ducis ad literas qvaſdam, per modum Vuniverſalium, inſcio illo conce-

 ptas,

ptas, usurpando, per easdem literas editas congressum qvendam privatum, sine consensu Nostro, sibi indicere, Mareschalcum hujus congressus constituere, & ad instar alicujus particularis Conventus eundem congressum peragere, ac in eo de successore, Duce futuro in his Ducatibus, concludere, uti de facto spretis inhibitionibus Nostris eundem Conventum privatum indixistis, celebrastis, successorem elegistis, Ordinationem Reipublicæ, & Leges Regis, ac pacta primitiva convulsistis, cointelligentias hac in parte etiam cum externis habere, aliaqve illicita, futuro in termino latius declaranda & explicanda, attentare præsumpsistis, qvo ejusmodi progressu in pœnas legum incurristis, eisqve succubuistis, pro qvibus pœnis criminalibus & perduellionis, super vobis, seu qvem vel qvos magis hæc attentata, onusqve præsentis actionis afficit, juxta demeritum cujusvis decernendis, tum ad videndum & audiendum, hunc congressum seu particularem vestrum Conventum & prætensam Ducis electionem, qvam pro nulla in literis Nostris inhibitoriis jam declaravimus, cumqve omnibus ejus conventus conclusis cassari & annihilari, Jura Nostra & Reipublicæ in eosdem Ducatus habita, per vos læsa, & violata redintegrari, circa primitiva pacta, cum qvibus in clientelam & defensionem Regum & Reipublicæ Polonæ suscepti estis, conservari & manuteneri, cæteraqve, qvæ de jure venerint, contra vos statui, decerni & sententiari, in damnis litisqve expensis condemnari, citamini, sitis parituri, terminum attenturi, & judicialiter ad præmissa, aliaqve latius futuro in termino contra vos proponenda, responsuri. Datum Varsaviæ, Sabbato in crastino Festi S. Annæ matris Deiparæ, Anno Domini 1726.

L. S. Minoris Cancellarii Regni.

L. S. Minoris M. D. Lithuaniæ.

S. R. S. R. S.

XX.

Oblata Videndæ Manifeſtationis,

d. 11. Julii, A. 1726.

AUGUSTUS II. Dei gratia Rex Poloniæ &c. &c. Significamus præſentibus Literis Noſtris, qvorum intereſt univerſis & ſingulis: Oblatas eſſe ad Acta præſentia Metrices Regni Cancellariæ Noſtræ Majoris, Literas infraſcriptas Videndæ Manifeſtationis, manibus Magnificorum Senatorum Regni, die hodierna in actu contenta ſubſcriptas, tenoris ſeqventis: Dabitur Manifeſtatio, nomine infraſcriptorum, in rem totius Reipublicæ, & pro reſervatione ſupremi juris & directi Dominii, qvod S. R. Majeſtati & Reipublicæ ad Ducatus Curlandiæ & Semigalliæ competit, ne aliqvod patiatur detrimentum, in & contra omnia & ſingula in his Ducatibus per qvoſcunqve tam ab extra, qvam ab intra, ultra mentem S. R. Majeſtatis & Reipublicæ, imo in convulſionem Legum Regni, & Reſcriptorum, præcipue ultimarii S. R. Majeſt. in his Ducatibus recenter attentata & attentanda, pactis primævæ ſubjectionis & incorporationis Regno Poloniæ horum Ducatuum, ac vinculo fidelitatis contraria, & conceſſioni feudali, inveſtituris, tum Legibus & Conſtitutionibus Regni & M. D. Lithvaniæ, necnon fœderibus anterioribus & noviſſimis, cum vicinis Potentiis initis, repugnantia, in præjudicium S. R. Majeſt. & Reipublicæ evenientia, aut eventura, ſuo loco & tempore explicanda, cum proteſtatione de nullitate eorundem omnium & ſingulorum attentatorum & attentandorum, ſtante vita legitimi Principis, Illuſtriſſimi Ferdinandi, Ducis Curlandiæ & Semigalliæ, prout latius in parata copia eadem Manifeſtátio porrigetur. Andreas de

Lubraniec Dambski, Palatinus Breſtenſis Cujaviæ *mp.* Joſephus Soltyk, Caſtellanus Belzenſis *mp.* Caſimirus Rudzinski, Caſtellanus Czernenſ. *mp.* J. Mniſzech, Supr. Regni Mareſchalcus. J. Szembek, Supr. Regni Cancellarius. Joannes Lipski, Procancellarius Regni. Joannes Georgius Przebendowski, Supr. Regni Theſaurarius. Qvas ejuſmodi Literas videndæ Manifeſtationis, ſic ut præmiſſum, oblatas, Nos ad Acta præſentia ſuſcipi, inſcribi, & ex iiſdem fideliter deſcriptas Parti poſtulanti authentice extradi, permiſimus. Actum & Datum Varſaviæ, Feria qvinta ante Feſtum S. Margaritæ Virginis & Mart. proxima, die ſcilicet 11. Julii, Anno Domini 1726.

XXI.

Manifeſtatio Procerum Regni Poloniæ & Magni Ducatus Lithuaniæ, contra Actum Curlandicum, Congreſſu illicito,

die 26. Junii, A. 1726.

formatum.

EXperimento triſti compertum eſt, Reſpublicas majores minoresve tamdiu ſtare, qvamdiu a Veterum inſtitutis non recedant, fundamentalibuſqve primævæ originis vel acceſſionis ſuæ legibus innitantur; Poſtqvam vero pertæſæ ſtatus antiqvi qvidpiam novi moliantur, vel cupido novandarum rerum, aut fatalis voluptas pereundi, innumerabilibuſqve ſeſe tricis implicandi, inceſſerit earum animis, neceſſario cadere ac ſuccumbere. Probe experti ſunt Ducatus Curlandiæ & Semigalliæ, qvid ad felicem illorum ſtatum hucuſqve contulerit, poſtqvam felicibus Anteceſſorum Noſtrorum armis, ſub auſpiciis Sereniſſi-

nissimorum Sigismundi Augusti, Stephani Bathorei, Sigismundi Tertii, subseqventiumqve Regum Poloniæ, ab interitu vindicati, a qvavis hostili impetitione protecti, pari Nobiscum prosperitate gloriari assueverunt; Qvodsi qvandoqve contigerit, minora votis perferre, communem Regnorum sortem instabilis fortunæ miserati inter tempestates procellasqve bellorum fluctuare poterant, non mergi, ubi coadunati Reipublicæ Nostræ nec perire, nec salvi nisi una esse, debuerant. Jam qvod Superi avertant, navigium hoc, quod, cum Republica Nostra stricte unitum, feliciter hucusqve vehebatur, verendum, ne individi cœptum naufragium patiatur, qvando nuper inscia ac inconsulta, multominus reqvisita, Sacra Regia Majestate & Repu-blica, existente adhuc in vivis Principe suo legitimo, Conventiculum qvodpiam sibi formare, deqve eligendo novo Principe deliberare, imo actu ausuqve illicito eligere, monitiones Sacræ Regiæ Majestatis hunc Actum inhibentes respuere, Emissarium Regium, charactere Nuntii ad Comitia insignitum, non admittere, aliaqve contraria Pactis & Fœderibus subjectionis ejusdem Ducatùs Curlandiæ & Semigalliæ, obliti beneficiorum Regni hujus, attentare ausi sunt. Non commemoramus, quomodo Provincia hæc a Gotthardo Kettlero, Magistro qvondam Ordinis Teutonici, Reipublicæ Nostræ se subdiderit subjeceritqve, qvomodo a temporibus ejusdem Kettleri in obseqvio & fide feudali Reipublicæ Nostræ, ad hæc usqve tempora, fidelis permanserit; prætermittimus, qvaliter non interrupta serie in Friderico & Wilhelmo, filiis Gotthardi, postea in eodem Friderico & Jacobo, ex Wilhelmo fratre nepote suo, demum in Friderico Casimiro, & Ferdinando adhuc superstite, filiis Jacobi Ducis, Investituras petierit, obtinueritqve: Leges tantum nonnullas, tenoremqve Pactorum subjectionis adducere in animo est,

est, qvo luculentius pateat, immerito indebiteqve attentatum, adeoqve nullius valoris, imo damnabile esse, qvidqvid in novissimo tumultuario Cœtu recenter actum est.

Et qvidem libet prima verba Tractatus Subjectionis Livoniæ, uti cum Curlandia indivisæ, ejusdemqve naturæ existentis, hic inserere, qvæ sic sonant: *Sigismundus Augustus &c. Cum Terra Livoniæ Nobis ex parte Magni Ducatus Lithvaniæ & vicinitate, & multis, partim antiqvis, partim novis, pactis & fœderibus devincta & consociata, jam ab aliqvot annis immanissimi hostis Moschi crudelibus armis, incendiis & vastationibus, propemodum funditus eversa & desolata esset, ita ut extrema qvæqve illi imminerent, nec qvidqvam certius esset, qvam qvod ad primam qvamqve incursionem illius præpotentis hostis, illud, qvod reliqvum tam in Diœcesi Rigensi, qvam in terris Magistri Ordinis Teutonici, fuerat, similibus cladibus excinderetur & in durissimam servitutem hostilem veniret, qvemadmodum jam magna pars, propter multarum civitatum arcium, propugnaculorum, amissionem venerat, & ob maximam in omnes partes depopulationem vastitatemque, ferro & igni in ea allatam, & propter quotidianas incursiones, magnumque hostis ad ejus reliquias occupandas apparatum, ad eam angustiam & difficultatem Ordines illius redacti essent, ut nequaquam opibus viribusque propriis Statum suum defendere, atque se a servitute & crudelitate hostili tueri ac vindicare, possent; Ideo Illustrissimus & Magnificus Dominus, Gotthardus, Equestris Ordinis Teutonici in Livonia Magister, Nobilitas, Civitates, Statusqve & Ordines illius universi, dum & omnia domestica consilia sua convulsa, & se ab aliorum præsidiis, præsertim Sacræ Cæsareæ Majestatis, & Statuum Romani Imperii, destitutos animadverterent, a vicino etiam Rege Sueciæ terra mariqve peterentur, tam suo, qvam Civitatum, aliorumqve Ordinum Livoniæ, ad dictum Magistrum spectantium, nomine, crebris inter-*

internunciis & literis præsentem calamitatem & gravissimum periculum Nobis exposuissent, multisqve precibus opem & auxilium Nostrum implorassent; Nos & commiseratione afflictissimæ Provinciæ, & amore totius Reipublicæ, adducti, & ne barbarus hostis latius pro sua libidine in populo grassaretur, dedimus negotium Illustrissimo Principi, Domino Nicolao Radziwil, Duci in Olyka & Nieswiez, Palatino Vilnensi, &c. ut iterum in Livoniam properaret, & primo qvoqve Rigam peteret, ibiqve tam cum ipso Magistro, qvam cum illius Ordinibus ac Civitatibus, de memoratæ Provinciæ defensionis ratione tractaret. Cumqve in illis Tractatibus ab omnibus perspiceretur, nisi communibus viribus tam Polonorum, qvam Lithuanorum, defensio suscipiatur, non posse potentiam hostilem reprimi, Polonorum vero auxilia, nisi deditio qvoqve ad Regnum Poloniæ, non solum Magnum Ducatum Lithuaniæ, fiat, neqvaqvam adduci posse; Tandem ad hunc extremum casum, ita ut fit in rebus desperatis & præsenti periculo expositis, deventum est, ut de facienda deditione statuerent, eoqve nomine communis profectio, tam ab ipso Principe prænominato, qvam ab Ordinum ac Civitatum Nunciis, ad Nos susciperetur.

Placeat & alterius Instrumenti confirmatorum Jurium initialem textum de verbo ad verbum exprimere: SIGISMUNDUS AUGUSTUS &c. *Cum Livoniæ Provincia gravi ac diuturno bello Moschico multisqve cladibus afflicta, vastata, atqve magna ex parte in potestatem hostium redacta esset, cumqve & propter multarum civitatum arciumqve & propugnaculorum amissionem, & ob maximam in omnes partes depopulationem, vastitatemqve ferro atqve igni in ea allatam, & propter qvotidianas incursiones, magnumqve hostis ad ejus reliqvias occupandas apparatum, ad eam angustiam ac difficultatem Ordines illius redacti essent, ut neqvaqvam opibus viribusqve propriis Statum suum defendere, atqve se a servi-*

tute crudelitateqve hostili tueri ac vindicare possent; Illustrissimus ac Reverendissimus Dominus Guilhelmus, Archiepiscopus Rigensis, &c. ac Illustrissimus Dominus Gotthardus Kettlerus, Eqvestris Ordinis Teutonici in Livonia Magister, Statusqve & Ordines Livoniarum universi, & Civitatum Nuntii, dum & omnia domestica præsidia sua convulsa, & se ab aliorum præsidiis destitutos animadverterent, magnam autem spem in Nostro ditionumqve Nostrarum auxilio deponerent, matura deliberatione habita, publicoqve & concordi omnium assensu, se, Provinciamqve suam, in fidem & potestatem Nostram tradiderunt, ac in perpetuum ditionibus Dominiisqve Nostris, ad instar Terrarum Prussiæ, adjunxerunt & incorporarunt. Itaqve Nos & fœderibus & vicinitate conjunctæ Nobis Provinciæ, periculo, clade, vastitate, servitute, permoti, & pro Christiani Principis officio pertinere ad fidem Nostram intelligentes, ut homines Provinciamqve Christiani nominis a cæde, populatione, servitute barbari ac crudelis hostis, probibeamus, eosdem in fidem & ditionem Nostram accepimus &c. Faciunt multum ad rem, imo instruunt plurimum, verba illa, qvibus Magistratum etiam ordinandi, nedum Principem constituendi, Regi potestas supererat, dum sic in Tabulis Conventionum reperitur:

Cum nihil Respublicas magis quassare atqve concutere soleat, qvam legum, consvetudinis atqve morum mutatio, Sacra Regia Majestas bene constitutas Respublicas, hac ratione non modo servandas, sed collapsas restituendas, prudentissimo atque vere Divino consilio censuit, qvod Principibus, Nobilibus, Civitatibus atqve Statibus Livoniæ promiserit, non solum Magistratum Germanicum, sed & Jura Germanorum propria, concessuram &c. Jam qvod attinet ad ipsam Curlandiam Semigalliamqve, Incorporationemqve horum Ducatuum ad Regnum Poloniæ, verba plenæ subjectionis, in hunc sonant modum: *Sigismundus Augustus &c. Significamus &c.*

Quod

Quod cum Illustris Dominus Gotthardus, in Livonia Curlandiæ & Semigalliæ Dux, Generosos Fridericum a Kanicz, & Michaelem a Brunow, Consiliarios & Senatores suos, ad Nos, Regnique Nostri Ordines cum certis mandatis ablegavisset, atque hi ipsi literis fidei suæ Plenipotentiæ prædicti Illustris Domini Ducis demonstratis, id sibi ab Illustritate sua injunctum dicerent, quo nomine Illustritatis a Nobis Regnique Ordinibus postularent, ac enixe peterent, ut quoniam negotium vnionis Regni Nostri cum Magno Ducatu Lithuaniæ ad salutarem finem exitumqve optatum jampridem, DEO immortali adjuvante, perduxissemus, tempusque adesset, quo Livoniæ quoque a barbaro & truculento hoste majorem in modum populatæ & afflictæ, per Nos aliquando consuli possit, subjectionem Illustris Domini Ducis & subditorum ejus, de communi sententia atque assensu omnium Ordinum Regni, cum Ducatu Lithuaniæ uniti, acceptaremus; Nos etsi memoria tenebamus, superioribus annis, quo tempore ab Ordinibus Livoniæ crebris literis atque Nuntiis, ad eam ipsam subjectionem acceptandam sollicitaremur, sortem illius Provinciæ atque calamitatem miseratos, hanc ipsam privatim ex Persona Nostra in fidem atque protectionem Nostram suscepisse, tamen & illud etiam meminimus, cum prædicta subjectio præsentiam Senatus Polonici, ac pleniorem deliberationem requireret, rejecisse Nos hujus ipsius rei tractationem in tempus aliud, ad eam efficiendam commodius; Quod cum se Nobis obtulisset, faciendum esse existimavimus, flagitantibus præsertim Illustris Domini Ducis Plenipotentibus, & vnione Regni cum Magno Ducatu Lithuaniæ absoluta & perfecta, & ejus Illustritatis subjectionem, per supradictos Plenipotentes Illustritatis ejus Nobis delatam, de consensu & voluntate omnium Ordinum Regni & Magni Ducatus Lithuaniæ, ita, ut ante dictum est, uniti, in præsentibus Regni Comitiis acceptaremus, quemadmodum præsentibus literis Nostris acceptamus, ipsum Illustrem Principem in fidem & clientelam

Nostram, Regnique Nostri, cum omni Ducatu & Ditionibus Illustritatis suæ, publico Regni cum Magno Ducatu Lithuaniæ uniti nomine, recipimus, nimirum ut ab eo tempore in posterum Illustritas sua, ejusque Hæredes cum Ducatu Curlandico Semigallicoque Regno Nostro cum Ducatu Lithuaniæ unito, tanquam uni & indiviso corpori, perpetuis temporibus subjiciatur & incorporetur, ac in clientela & defensione Nostra & Regni cum Magno Ducatu Lithuaniæ uniti, permaneant. Speramus autem, Illustritatem suam, & ejus Illustritatis posteros, in ea fide, voluntate, subjectione, quam Nobis, Regnoque cum Magno Ducatu Lithuaniæ unito, per supradictos Plenipotentes detulerunt, constanter permansuros, & firmiter perseveraturos. &c.

Id vero, tanqvam directe casui ausuiqve contrarium, haud silentio præterire possumus, qvod Formula Regiminis cautum circumscriptumqve reperitur, his plane expressis verbis: *Conventus publici singulis bienniis Mitaviæ celebrentur, ad quos singuli Districtus, postquam Articulos deliberatorios nacti fuerint, Nuncios suos, cum sufficienti potestate, ablegabunt. In quibus Conventibus nihil decernetur, quod Pactis subjectionis fundamentalibus & Ducalibus Investituris, & hujus Regiminis Formæ, aut Ordinationi, sit contrarium, horum enim æterna autoritas esse & observari debebit. Si tamen Princeps ejusmodi Conventum indicere recusaverit, autoritate Regiæ Majestatis is indicetur.*

Qvid memoramus Juramenti formam, a Nobilitate suo Principi præstiti semper, præstandiqve, cujus tenor est talis: *Ego N N. Juro N N. Curlandiæ & Semigalliæ Duci, ejusque Successoribus investitis, & si horum nullus superfuerit, Serenissimo ac Potentissimo Principi ac Domino, D. Sigismundo Tertio, Poloniæ Regi, illiusque Successoribus Regibus, & inclyto Regno Poloniæ & Magno Ducatui Lithuaniæ, tanquam non solum supremis ac directis, quales nunc sunt, sed etiam utilibus & immediatis tunc futuris, Dominis*

minis meis, tam uti cæteri Regni indigenæ, ſubditus fidelis, & ſubjectus eſſe, ejus Illuſtritatis commoda & emolumenta quærere & promovere, omniaque terrarum & incolarum Illuſtritatis ejus, quantum per me fieri poteſt, damna & incommoda præcavere, amovere, prævenire, uti fidelem & probum ſubditum decet, ſemper velim, qua in re nihil quidquam, quod humano ingenio excogitari poterit, me impediet: Sic me DEUS adjuvet & Sancta Chriſti Paſſio.

Juramento ſic conſcripto, Majorum Noſtrorum cautela non permiſit, qvin etiam pœnas in ſeditioſos religioniqve Pactorum refractarios ſingulari lege ſtatueret, qvæ qvidem lex tenoris eſt talis: *His ita conſtitutis, illud poſtremo adjiciendum duximus, ut cum omnia, quæ hac Formula Regiminis continentur, Pactis primævæ ſubjectionis hujus Provinciæ, Juribus aliorum Principum Vaſallorum, feudali titulo Provincias in Republica Polona poſſidentium, atque adeo ipſi æquitati & juſtitiæ, ſint conformia, ea deinceps, ſub pœna Decreti Comitialis, anno ſuperiore lati, tum & aliis Sacræ Regiæ Majeſtatis arbitrariis, obſerventur, debitæque executioni a ſuis Magiſtratibus demandentur.*

Jam vero id totaliter omittere non poſſumus, qvod pro concluſione Tractatus, velut pro rei totius cardine, Formulæ eidem adjectum reperitur, in hæc formalia: *Inſuper omnes ex æquo in eam curam incumbant, quo pacatus tranquillusque hujus Ducatus ſtatus permaneat, qui cum inſtar propugnaculi contra finitimos univerſæ Reipublicæ hoſtes ex hac parte eſſe debeat, omnes concordibus animis ſtudia ſua ad ſalutem ejus certatim & alacriter conferant, Illuſtri Principi ſuo, ac illius legitimis in feudo Succeſſoribus, obedientiam honoremque exhibeant, fidei Regiæ Majeſtati & Reipublicæ Polonæ datæ, memores ſint, ſi omni felicitate patriam ſuam florere, ita ac debent, peroptant.*

Qvæ omnia ſecus nunc recenter acta, cum e diametro hiſce hicceqve adductis contraria ſint; Nos, Proceres Regni & Magni Ducatus Lithuaniæ, ad Latus Sacræ Regiæ Majeſtatis, Domini Noſtri Clementiſſimi, nunc præſentes, de nullitate cujuslibet Actus noviſſimi, directo Dominio Sacræ Regiæ Majeſtatis & Reipublicæ repugnantis, Pacta Subjectionis & Diplomata Incorporationis ad Rempublicam horum Ducatuum infringentis, Juramentum Fidelitatis per anteceſſores ſuos ac ſemetipſos præſtitum tollentis, aliaqve inſolita, illicita, vetita & punibilia attentantis, Noſtro & totius Reipublicæ nomine, ac de inſubſiſtentia eorundem attentatorum & attentandorum, iterum atqve iterum manifeſtamus, & proteſtamur, compagemqve hanc multorum annorum ſudore, imo ſangvine, coalitam, ſine exitio convellentium, convelli non poſſe, palam atteſtamur, ac præſentem Manifeſtationem & proteſtationem manibus propriis ſubſcriptam Actis Metrices Regni, qvibusvis aliis Authenticis inſcribi, committimus, ſalva ejusdem Manifeſtationis augendæ, corrigendæ, pleno in robore reſervata facultate. Datum Varſaviæ, Anno Domini 1726.

J. Mniſzech, Supremus Regni Mareſchalcus.
Joannes Lipski, Procancellarius Regni.
M. Princeps Czartoryiski, Procancell. M. D. Lithuaniæ.
Franciſcus Zaluski, Palatinus Plocenſis, *mp.*
J. Przebendowski, Supremus Regni Theſaurarius.
Stanislaus Ciolek Poniatowski, Supremus M. D. L. Theſaurar.
Franciſcus Bielinski, Palatinus Culmenſis, *mp.*
Stanislaus Chomentowski, Mareſchalcus Curiæ Regni, *mp.*

XXII.

XXII.

Declaratio, Sponſio & Obligatio, Supremorum Conſiliariorum, Mareſchalci, & Deputatorum ex omnibus Diſtrictibus Ducatus Curlandiæ & Semigalliæ, ſuo ac totius Nobilitatis, omniumqve Statuum hujus Provinciæ, ac ſucceſſorum ſuorum, nomine, ſub fide, honore & conſcientia, ſub nexu juramenti in Formula Regiminis expreſſi, tum ſub pœnis criminis læſæ Majeſtatis & perduellionis, perpetuo & irrevocabiliter facta

Mitaviæ, die 26. Septembris, Anno Domini 1727.

NOs infraſcripti, Supremi Conſiliarii, Mareſchallus & Deputati ex omnibus Diſtrictibus Ducatuum Curlandiæ & Semigalliæ, pro Generali & Publico Conventu horum Ducatuum, in termino per Intimatoriales Regiæ & Reipublicæ Commiſſionis, præfixo, id eſt pro decima qvinta præſentis, congregati & pleniſſime a fratribus noſtris ad infraſcripta, inſtructi, inhærendo Pactis primævæ ſubjectionis noſtræ, Divo Sigiſmundo Auguſto, Regi, Regnoqve Poloniæ & Magno Ducatui Lithuaniæ, inſiſtendoqve juramento, in Formula Regiminis, anno milleſimo ſexcenteſimo decimo ſeptimo, conſtituto ac expreſſo & a Majoribus noſtris, circa Inveſtituras novorum Ducum, pro nobis etiam poſteris ſuis, & in animas noſtras præſtito, tum demum Diſpoſitioni Reipublicæ, per Legem publicam in Comitiis Generalibus Grodnenſibus proxime præteritis, anni milleſimi ſeptingenteſimi vigeſimi ſexti, latæ, & in virtute ejus, Declarationi Judiciariæ Commiſſoriali obſeqventes & obedientes, ſub fide, honore & conſcientia, ſeqventia, pro nobis & poſteris noſtris, in perpetuum declaramus & ſtatuimus.

I. Cum

I. Cum nobis, prementibus gravissimis circumstantiis, contra supraallegata Pacta & Juramenta, temere & nulliter eventualem successionem - - - determinare, acciderit; Ideo tam præfatæ Pseudo-Electioni, qvam - - - omni imaginariæ etiam prætensioni novi cujuscunqve Principis eligendi, in perpetuum renuntiamus, Actus omnes præfatæ Pseudo-Electionis tam anteriores, qvam posteriores, post latam a Republica Legem, tum omnia Conventicula, Scripta & Lauda, eo nomine habita & sancita, uti Legibus & Juramentis contraria, & ipso facto damnata & nulla, pro nullis, irritis, & insubsistentibus, in perpetuum declaramus, cassamus, damnamus, annihilamus, & ex Actis Publicis eliminamus, &c. - - -

II. In casum vero sterilium fatorum moderni Celsissimi Ducis, Ferdinandi, super non attentanda, sub qvocunqve prætextu, vel colore, novi Principis infeudandi prætensione, imo juxta Juramentum in Formula Regiminis expressum, super omnimoda & invariabili subjectione Regibus Regnoqve Poloniæ & Magno Ducatui Lithuaniæ, tanqvam nunc supremis & directis, pro tunc vero jam utilibus & immediatis, Dominis nostris, iterum atqve iterum qvam solennissime & sacrosancte, sub fide, honore, conscientia, & nexu supraallegati juramenti, qvod in totum & integrum reassumimus, instauramus, & ejusdem valoris & roboris, sicuti a nobis esset præstitum, sancte testamur & profitemur, tum sub poenis criminis læsæ Majestatis & perduellionis, nostro, totiusqve Nobilitatis ac omnium Statuum hujus Provinciæ & Successorum nostrorum nomine, perpetuo & irrevocabiliter spondemus & nos obstringimus; Cointelligentias etiam & machinationes cum omnibus exteris Potentiis, in præjudicium suprascriptorum & detrimentum Jurium Sacræ Regiæ Majestatis & Reipublicæ, super hos Ducatus, nullas

nullas unqvam & in perpetuum habebimus, nec practicabimus, ſub nexibus, vinculis & rigoribus, ſupraexpreſſis. Datum Mitaviæ, die vigeſima ſexta Septembris, anno Domini milleſimo ſeptingenteſimo vigeſimo ſeptimo.

L. S. Henricus Chriſtianus de Brucken, Landhofmeiſterus & Supremus Conſiliarius, *mp.*

L. S. Adamus Caſimirus Koſciusko, Oberburgrabius & Supremus Conſiliarius, uti in præterito, ita in futurum, intaminatam fidem meam Reipublicæ ſpondeo, *mp.*

L. S. Heinricus Johannes a Meerfeld, Subjudex Goldingenſis, p. t. Deputatorum Mareſchallus, & Diſtrictuum Goldingenſis & Windavienſis Deputatus, *mp.*

L. S. Georgius Fridericus Klopmann, Capitaneus minor Schrundenſis & Deputatus Mitavienſis, *mp.*

L. S. Chriſtophorus Joannes a Brucken, dictus Fock, Deputatus Mitavienſis, *mp.*

L. S. Joannes Henricus Keyſerling, Cancellarius & Supremus Conſiliarius.

L. S. Caſimirus Chriſtophorus Brackel, Mareſchallus Provinciæ & Supremus Conſiliarius.

L. S. Chriſtophorus Fircks, Deputatus Diſtrictus Talſenſis, *mp.*

L. S. Georgius Fridericus Fircks, Diſtrictus Talſenſis Deput. *mp.*

L. S. Fridericus Caſimirus de Brucken, dictus Fock, Deputatus Candavienſis, *mp.*

L. S. Georgius Heinricus Hahn, Deputatus Candavienſis & Neunburgenſis.

L. S. Gerhardus Erneſtus Haudring, Subjudex Selburgenſis, & Deputatus Diſtrictus Dunaburgenſis & Translautzenſis.

L. S. Wilhelmus Fridericus de Budberg, Staroſta Rumborski, Deputatus Diſtrictus Dunaburgenſis & Translautzenſ.

L. S. Otto

L. S. Otto Friederich Behr, Deputatus Fravenburgensis, *mp.*

L. S. Magnus Christophorus Korff, Deputatus Districtus Tuccumensis, *mp.*

L. S. Joannes Melchior de Funck, Districtus Tuccumensis Deputatus, *mp.*

L. S. Heinricus Gerhardus de Plettenberg, Districtuum Ascheradensis & Nerfftensis Deputatus, *mp.*

L. S. Philippus Georgius Hahn, Deputatus Districtus Bauscens. *mp.*

L. S. Georgius Melchior Stempell, pro me & Mandatario nomine Friderici Henrici a Bistram, Deputati Autzensis & Irentzhofiensis, *mp.*

L. S. Heinricus Christianus Offenberg, Capitaneus minor Doblenensis & Deputatus Districtus Doblenensis.

L. S. Gotthardus Fridericus de Lœbel, Doblenensis Deputatus Districtus.

L. S. Alexander Fridericus Korff, Deputatus Seelburgensis, *mp.*

L. S. Christopher Gideon Manteuffel, genant Szœge, Deputatus Seelburgensis.

L. S. Gebhardus Johannes Keyserlingk, Deputatus Districtus Durbensis & Grambsdensis, *mp.*

L. S. Johan Fromhold de Buttler, Deputatus Durbensis Grambsdensis, *mp.*

L. S. Gerhardus Wilhelmus Nagel, Districtus Alschwangensis Deputatus, *mp.*

L. S. Fridericus Manteuffel, nomine Szœge, Deputatus Districtus Eravensis, *mp.*

L. S. Petrus Koschkull, Zabeliensis Districtus Deputatus, *mp.*

L. S. Nicolaus Korff, Deputatus Districtus Hasenpothensis, *mp.*

L. S. Gotthardus Ernestus de Budberg, Deputatus Districtus Baldonensis & Neugutensis, *mp.*

L. S. An-

L. S. Andreas Gotthardus Manteuffel, nomine de Szœge, Deputatus Districtus Sessaviensis, *mp.*

L. S. Wilhelm Alexander de Heucking, Zabeliensis Districtus Deputatus, *mp.*

XXIII.

Ordinatio Futuri Regiminis Ducatuum Curlandiæ & Semigalliæ, sub immediato Dominio

Regum Poloniæ & Reipublicæ, in casum sterilium fatorum moderni Illustrissimi Ducis, Ferdinandi, per Nos, Christophorum in Slupow Szembek, Episcopum Varmiensem & Sambiensem, Casimirum de Kozielsko Oginski, Trocensem, Stanislaum Dœnhoff, Polocensem, Campi Ducem Magni Ducatus Lithuaniæ, Stanislaum Chomentowski, Masoviæ, Campi Ducem Regni, Palatinos; Ex Minori Polonia Jacobum in Skrzynno Dunin, Referendarium Regni, Capitaneum Radosycensem & Vislicensem, Georgium Ozarowski, Dapiferum Cracoviensem; Ex Majori Polonia Josephum Nakwaski, Capitaneum Ciechanoviensem, Alexandrum Lodzia Poninski, Venatorem Vschovensem, Franciscum Szembek, Capitaneum Tolkmicensem, Adamum Krasinski, Pincernam Ciechanoviensem, Colonellum Sacræ Regiæ Majestatis; Ex Magno Ducatu Lithuaniæ Michaelem, Ducem in Niesviez & Olyka Radziwill, Capitaneum Premisliensem, Josephum de Campo Scipio, Capitaneum Lidensem, Sigismundum de Vahlen, Vexilliferum Grodnensem, Antonium de Eperiess, Colonellum Sacræ Regiæ Majestatis, Commissarios S. R. Majestatis & Reipublicæ, ex Comitiis Grodnensibus Anni Domini millesimi septingentesimi vigesimi sexti, Delegatos, facta & conscripta,

Mitaviæ, d. 5. Decembr. A. 1727.

CVm ea omnium Feudorum natura sit, ut deficientibus iis, qvibus ob insignia & eminentia merita conferuntur, re-

dire debeant ad liberam ſupremorum Dominorum diſpoſitionem, & immediatum, directum, ac utile Dominium, prudentiaqve & ordo, rerum anima, ſuadet, ut circa proximam eorundem ad ſupremos Dominos devolutionem, tempeſtive norma futuri illorum Regiminis inſtituatur; Itaqve Nos Commiſſarii, per Conſtitutionem Comitiorum Grodnenſium, in anno præterito milleſimo ſeptingenteſimo vigeſimo ſexto, a Sacra Regia Majeſtate Domino Noſtro Clementiſſimo, reliqviſqve Reipublicæ Ordinibus, ex univerſali omnium aſſenſu, ad Ducatus Curlandiæ & Semigalliæ, pro facienda Ordinatione eventuali, in caſum ſterilium fatorum Illuſtriſſimi Ducis moderni, Ferdinandi, & exaudiendis Ordinis Eqveſtris deſideriis, aliiſqve negotiis Nobis commiſſis, deſignati, inhærendo antiqviſſimis Juribus Sacræ Regiæ Majeſtatis, & Reipublicæ, in hoſce Ducatus, per Pacta ſubjectionis libere & ſpontanee Regibus Regnoqve Poloniæ & Magno Ducatui Lithuaniæ, in æternum ſubjectos, & ad corpus Reipublicæ in anno milleſimo qvingenteſimo ſexageſimo nono adjunctos & incorporatos, tum ſacro vinculo Juramenti, in Formula Regiminis, expreſſi, ad fidem & obſeqvium Regibus & Reipublicæ inviolabiliter ſervandum obſtrictos, utiliqve & immediato, extincta Ducali ſtirpe Ketleriana, Regum ac Reipublicæ Polonæ Dominio in perpetuum ſubjectos, nec non armis & ſanguine civium Reipublicæ, ab hoſtium qvorumvis inſultibus, gravibuſqve periculis defenſos, liberatos & ſervatos; tum qvoqve ſatisfaciendo Legi publicæ, in prædictis Comitiis Grodnenſibus latæ, & ſecundum gradus, Nobis in ea præſcriptos, procedendo, - - - omnia Juribus Reipublicæ nociva & contraria, per altedictam Conſtitutionem Grodnenſem caſſata & annihilata, ex Actis publicis horum Ducatuum eliminari fecimus, debitam fidem, ſubjectionem, & obedien-

tiam,

tiam, per renovatos nexus, in assecuratione, a Magnificis Supremis Consiliariis Regentibus, & Generoso Eqvestri Ordine, Reipublicæ data asseruimus; descendimus tandem ad examinanda desideria a Generoso Ordine Eqvestri Ducatuum Curlandiæ & Semigalliæ, ex Conventu publico, hic Mitaviæ celebrato, per Generosum Ordinis Eqvestris Mareschalcum, Henricum Joannem a Meerfeld, Nobis exhibita. Igitur matura deliberatione perpensis ac trutinatis hisce Generosi Eqvestris Ordinis desideriis & postulatis, juxta concessam Nobis, per Legem publicam facultatem, ea, qvæ Pactis subjectionis, Privilegiis Serenissimorum Regum Poloniæ, Formulæ Regiminis, Decisionibus Commissorialibus, innixa, ac Juribus & commodis Reipublicæ, securitatiqve, tranqvillitati & utilitati, horum Ducatuum, consentanea esse videntur, accedente ad id voluntario Generosi Ordinis Eqvestris assensu, & spontanea submissione, relative ad approbationem Reipublicæ, pro Norma & Methodo futuri Regiminis, in casum sterilium fatorum Illustrissimi moderni Ducis, exclusa in perpetuum, tam per antiqviores, qvam per recentem Legem, novi alterius Ducis infeudatione, prohibitaqve universis & singulis, sub pœnis severissimis, ex omni jure illicita cum extraneis Principibus correspondentia, & vetita cointelligentia, statuere Nobis visum est.

1. Provincia hæc generaliter circa Pacta primævæ subjectionis, Privilegium Nobilitatis a Divo Rege Sigismundo Augusto clementissime concessum, Formulam Regiminis, Statuta, Decisiones Commissoriales, tam anteriores, qvam novellas, tum & Lauda Publica (dummodo tam Juribus Sacræ Regiæ Majestatis & Reipublicæ, super hos Ducatus, qvam Juribus Cardinalibus horum Ducatuum ac Religioni Romano-Catholicæ, juxta Formulam Regiminis, non sint contraria, nec in præjudicium,

 cium,

cium, & cum injuria privatorum, ſtatuantur) poſſeſſionem dignitatum, qvæ tempore aperturæ legitime collatæ reperientur, necnon omnium Bonorum ſive Feudalium, ſive Hypothecariorum, & integram rei Eccleſiaſticæ Auguſtanæ Confeſſionis adminiſtrationem, ejuſdemqve Religionis, juxta expreſſa verba Formulæ Regiminis, perpetuum, & ſine ulla immutatione, liberum exercitium in ſuis Eccleſiis, libertates, immunitates, prærogativas, & ſummatim circa omnia & ſingula antiqvitus acqviſita & conceſſa jura, conſuetudines, & obſervantias legitimas, tam in Eccleſiaſticis, qvam Politicis, penitus conſervabitur, ſalvis & illæſis juribus, privilegiis, immunitatibus, ritibus, obſervantiis Religionis Romano-Catholicæ, juxta Formulam Regiminis, Deciſiones Commiſſoriales, ſtatutis & conceſſis, qvæ vim & robur perpetuæ firmitatis habere debent, cum libero prædictæ Religionis exercitio.

2. Eo vero caſu, qvo Illuſtriſſimus Dux modernus, Ferdinandus, ſine prole maſcula fatis cederet, Curlandia & Semigallia ita incorporatæ eſſe cenſeantur, tanqvam Ducatus, Juribus, Pactis, & Privilegiis peculiaribus gaudentes, qvibus, ſicuti omnibus reliqvis, nullæ Conſtitutiones, qvoad immutationem Jurium & Legum fundamentalium, Religioniſqve Auguſtanæ Confeſſionis, præjudicent, cum promiſſum ſit, qvod Pactorum ac Formulæ Regiminis autoritas æterna eſſe & permanere debeat; itaqve Provincia hæc, nomine Sacræ Regiæ Majeſtatis & Reipublicæ, ut tunc temporis Ducatuum Curlandiæ & Semigalliæ immediatorum & utilium Dominorum, a qvatuor Conſiliariis Supremis, & duobus Aſſeſſoribus Judicii, juxta Formulam Regiminis, itidem a Capitaneis Majoribus & Minoribus, hoc modo regatur, ut ſede unius vel alterius vacante, Dignitariorum & Officialium talis ſit electio: Vt Capitanei Majores

&

& Minores, necnon in Formula Regiminis nominati duo Aſſeſſores, per ſolum Ordinem Eqveſtrem in Conventibus publicis eligantur, & a Conſiliariis Supremis, nomine Sacræ Regiæ Majeſtatis, confirmentur, Conſiliarii vero Supremi a Sacra Regia Majeſtate ex quatuor Capitaneis Majoribus aſſumantur, & per privilegium conſtituantur. Cum autem Cancellarius, non tantum ex qvatuor Capitaneis Majoribus, uti cæteri Conſiliarii, ſed & ex reliqva Nobilitate, creari poſſit, & hocce officium virum idoneum, ac multis qvalitatibus dotatum, reqvirat, conſultum fuit, ut facultas eligendi tres Candidatos in Conventibus Publicis, eosqve S. R. Majeſtati præſentandi, penes Generoſum Ordinem Eqveſtrem relinqveretur, ex qvibus electis & præſentatis, qvi Auguſtanæ Confeſſionis ſint, cum juxta antiqviſſimum uſum & ſtatuta Curlandiæ Cancellarius Conſiſtorii Auguſtanæ Confeſſionis ſit Præſes, S. R. Majeſtas uni officium Cancellariatus conſeret: Ne vero per electionem Capitaneorum Majorum & Minorum Catholici, qvorum paucus numerus, a dignitatibus & officiis excludantur, qvibus ſecundum Formulam Regiminis ad munia publica aditus patere debet, idcirco, aſſentiente ad id Generoſo Ordine Eqveſtri, ſtatuimus, ut omnino unus inter Conſiliarios Supremos, unus inter Capitaneos Majores, & duo inter Capitaneos Minores, ſint Catholici, nec in hiſce officiis eorum numerum Nobilitas augere teneatur; qvodſi contigerit, aliqvem ex Conſiliariis vel Capitaneis, poſt aſſecutam jam dignitatem, vel officium, Catholicam fidem amplecti, id nec illi, nec alteri Catholico in ſimili officio conſtituto, ullum dignitatis ſuæ detrimentum ac periculum adferat, præter Cancellarium, qvi juxta reſervationem a Nobilitate factam, poſt reſignationem Auguſtanæ Confeſſionis, munia Cancellarii non exercebit, & alius Cancellarius in ejus locum,

facta ab Ordine Eqvestri electione & præsentatione, constituetur, titulo tantum solo hujus officii Cancellariatus, salvo illi manente; duo vero Assessores Judicii, liberis Nobilitatis suffragiis eligendi, per lauda publica confirmentur. Ad eos autem Dignitarios & Officiales eligendos, qvoties opus fuerit, ad instantiam vel Generosi Ordinis Eqvestris, aut ejus constituti Plenipotentis, Conventus publicus extraordinarius, a Supremis Consiliariis, nomine Regis, indicetur, neqve qvisqvam, sive Consiliariorum, sive Capitaneorum, aliorumqve Officialium, absqve gravi & justa legitimaqve causa, sine cognitione Judiciali, a loco & officio suo amoveatur; si autem cognitio a Consiliariis Supremis & Assessoribus, una cum qvatuor Capitaneis Majoribus, unius vel alterius absentia non obstante, sive in ordinario, sive in extraordinario termino, facta fuerit, salva Parti gravatæ a sola definitiva appellatione, removeri possit. Si vero contigerit, ut unus Capitaneorum Majorum vel Minorum removeretur, vel alia ex causa officio suo fungi impediretur, hinc proximus qvisqve Loci Capitaneus, ne judicia, justitiæqve administratio retardentur, vices ipsius suppleat.

3. Cum pensiones omnibus Dignitariis, & inprimis Magnificis Consiliariis Supremis, ordinatæ, tenues admodum & exiguæ sint, ex qvibus dignitatem sustinere nullatenus valent; itaqve ne cursum Justitiæ, ob modicos proventus, sistere, vel ex donis vivere, aut accidentia illicita sollicitare, cogantur, convenientiora dignitatibus & officiis salaria, ex proventibus Bonorum Ducalium, jam tunc ad utilitatem & dispositionem Reipublicæ devolvendorum, assignantur, scilicet, ut unicuiqve Consiliario Supremo, ultra solitum mille florenorum Albertinorum salarium, qvingenti floreni Albertini qvotannis addantur, & realiter per Generosum Oeconomum Bonorum Feudalium, exsolvantur.

4. Qvem-

4. Qvemadmodum juxta Formulam Regiminis in omnibus punctis observatam, & præcipue juxta hos paragraphos, qvod nemo omnium sive Nobilium, sive incolarum, bonis suis, sine legitima cognitione & judicio, privetur; item si lis inter Regimen & Nobilem sive unum, sive plures, de possessionibus aliisqve rebus orta fuerit, qvod causa eorum, immediate coram Judiciis Relationum Sacræ Regiæ Majestatis intentetur, nec ulla Rescripta Regia, contra Jura hujus Provinciæ, a Regimine Ducatuum horum attendantur, imo, ut super impetrantes ad sinistram Cancellariarum Regni & Magni Ducatus Lithuaniæ informationem, talia Rescripta, pœnæ in Formula Regiminis expressæ extendantur, perpetuo cavetur.

5. Qvia vero naturalis & communis defensionis exposcit ratio, ut subsidia aliqva Reipublicæ, urgente necessitate belli, cum extraneis a Sacra Regia Majestate & Republica gerendi, a Generoso qvoqve Eqvestri Ordine subministrentur; idcirco ad servitia eqvestria in Formula Regiminis præscripta, nempe ex viginti uncis Raytarum unum, reducendo, juxta allegatam uncorum proportionem, hocce subsidium ad numerum ducentorum Raytarorum, sive Eqvitum, præter Officiales, tempore belli, ex bonis solis Nobilium, annumeratis iis, qvæ Domus Ducalis Jure Allodiali a Nobilitate acqvisivit, præstanda, fidem suam obligat; Qvoniam autem sistendi hi milites, ob inæqvalitatem uncorum, magna adferunt incommoda, hinc Generosus Ordo Eqvestris, loco servitiorum eqvestrium, juxta Formulam Regiminis præstandorum, primo anno cœpti belli triginta millia Imperialium Albertinorum, reliqvis vero annis, qvamdiu bellum duraverit, qvotannis decem millia Imperialium se exsoluturum promisit, hoc tamen præcauto, si tum temporis sive copiæ hostiles, sive etiam milites Reipublicæ, Provinciam hanc

pro

pro defensione occuparent, ne prædictus Ordo Eqvestris ad exsolvendas antememoratas pecunias, nec ipso belli tempore, nec etiam post recuperatam pacem, pro his annis, qvibus vel copiæ hostiles, vel Reipublicæ, in visceribus hujus Provinciæ permanserint, exsolvere obstrictus sit, præter prædicta autem servitia, ab omnibus inhospitationibus militum, contributionibus, omnibusqve aliis ejusmodi oneribus, liber & immunis erit.

6. Item Regimini hujus Provinciæ, Jurium omnium superiorum, nimirum Juris cudendæ monetæ, & aliorum ex Pactis subjectionis resultantium, exercitium, uti Illustrissimi Duces ea habuerunt, relinqvitur, adeo ut ea omnia, nomine Sacræ Regiæ Majestatis, exercere possint, ita tamen, ut monetæ ad pondus & valorem intrinsecum hujus, qvæ in Regno Poloniæ & Magno Ducatu Lithuaniæ vicinisqve Provinciis cursum habet, cudendæ, ex una parte effigies Regia, ex altera Insignia Regni Poloniæ & Magni Ducatus Lithuaniæ, inclusis Insignibus Ducatuum Curlandiæ & Semigalliæ, imprimantur.

7. Qvoniam jam ante annos complures moderna Sacra Regia Majestas feliciter Regnans, concedere dignata est, ut Generosus Ordo Eqvestris Provinciæ Plenipotentem eligere & constituere possit, cujus officium erit providere, ut Leges, Jura, & Libertates Provinciæ, qvocunqve tempore in viridi usu & observantia conserventur, & si qvid in contrarium vel a Regimine, vel a qvovis alio, inciderit, de eo, ad Sacram Regiam Majestatem deferre; Licitum itaqve erit, ejusmodi Provinciæ Plenipotentem eligere & constituere, qvi tamen nullas innovationes, vel aliqva molimina, & negotiationes cum extraneis, qvocunqve titulo & prætextu, inire audebit, sub pœnis contra violatores Jurium Reipublicæ & perduelles sancitis.

8. Cum

8. Cum Fines Ducatuum Curlandiæ & Semigalliæ, ex parte Livoniæ & Magni Ducatus Lithuaniæ, non mediocriter coarctati & imminuti sint, curabit Sacra Regia Majestas, Dominus Noster Clementissimus, & Respublica, & convenientia media adhibebit, ut fines in ordinem redigantur, limites juxta ductum Pactorum subjectionis definiantur, & qvidqvid Ducatibus Curlandiæ & Semigalliæ subtractum apparuerit, illis restituatur.

9. Siqvidem ad Regimen manutenendum, & Justitiam exeqvendam milites necessario reqvirantur, numerus duodecim Raytarorum, & triginta peditum, habeatur, illisqve ex reditibus Ducalibus, juxta antiqvam consuetudinem, stipendium exsolvatur.

10. Conservatur qvoqve in Ecclesiasticis, & eo spectantibus, Judicium Consistoriale, qvod hucusqve in viridi usu & observantia fuit, qvodqve ex Consiliariis Supremis & duobus Assessoribus Augustanæ Confessionis, Superintendente & Præpositis, consistit, & uti antea semper, ita & in posterum, Cancellarius præsidium retineat, & in ea omnia, qvæ ad integram Rei Ecclesiasticæ administrationem pertinent, constituantur & decidantur. Conventus, qvos vocant Synodos, habeantur, eo tamen præcauto, qvod idem Consistorium Augustanæ Confessionis nullam unqvam super personis Romano-Catholicis, cujuscunqve status & conditionis, si rei fuerint, jurisdictionem sibi usurpare poterit. Causæ vero matrimonii, in qvibus una persona conjugum erit Catholica, nec ex reatu, nec ex actoratu, ad prædictum Consistorium ullatenus trahantur. In iis Templis, in qvibus Dux vel Patronus solus fuit, vel Compatronos habuit, tam in Templis omnium urbium, qvam agrorum, nulla mutatio suscipiatur, eaqve Templa & Parochiæ, cum

omnibus iis assignatis Cmethonibus & aliis pertinentiis, Concionatoribus Augustanæ Confessionis, (qvibus ex reditibus Ducalibus juxta morem receptum, salarium persolvatur) provideantur, & ex Præfecturis tecta atqve sarta serventur, imo qvoties opus fuerit, emendentur, in qvantum antiqva collapsa fuerint. In iis Templis, ubi Nobiles Jus Compatronatus habent, pars competens, uti antea, conferatur, & ad hanc Partem competentem, tam qvoad Concionatorum salarium, qvam qvoad conservationem Templorum, conferendam, & exsolvendam etiam Catholicæ Religionis Compatroni teneantur; Jus tamen Patronatus, qvod & ubi Ducibus competebat, Sacræ Regiæ Majestati, per Consiliarios Supremos, nomine Regis exercendum, reservatur. Itidem Nobilibus Jus Patronatus in suis Templis, & jus in bonis suis Templa ædificandi, ea renovandi, & qvidqvid alias ipsis competierit, uti antea habuerunt, aut habere potuerunt, per omnia & in omnibus relinqvitur.

11. Cum Curlandia Gymnasio Academico destituta sit, unde & Nobilium & Civium liberi, magnis cum sumptibus in Academias Germaniæ mittendi, non mediocrem summam pecuniæ, Provinciæ auferunt, præterea multæ viduæ & virgines paupertate premantur, & non habeant, qvo vitam suam honeste sustentare possint; igitur Evangelicum Gymnasium & Cœnobium pro viduis & virginibus instituendi, & conservandi qvocunqve tempore, dummodo non ex proventibus Ducalibus, facultas indulgetur; illa autem pauca hospitalia, & viduarum domus, uti & Scholæ, hic in Curlandia & Semigallia existentes, in eodem statu, in qvo sunt, retineantur, & qvæ ipsis dedita sunt, prompte & expedite exsolvantur.

12. In Privilegio Divi Sigismundi Augusti §. 7. clementissime provisum est, qvod Nobiles in omnibus Bonis Feudalibus

bus jam obtentis, vel qvovis modo, five speciali gratia, sive contractu licito, obtinendis, liberam & omnimodam potestatem, de iis disponendi, habeant; Idcirco bona, qvæ Nobiles a Domo Ducali Jure Feudi obtinuerunt, prævia probatione Jurium Feudalium, coram Commissione Regia, eodem jure, uti obtinuerunt, etiam post fata Illustrissimi Ducis sterilia, tenebunt & possidebunt; Bona vero Allodialia a Ducibus acqvisita & libero commercio subjecta, uti fuerunt, ita semper remaneant.

13. Cum vel bello, vel aliis variis & innumeris casibus, imo ipsa diuturnitate temporis, evenit, ut Privilegia & Documenta Prædiorum nonnullorum Allodialium perierint, ea juxta præscriptum in Privilegio Divi Sigismundi Augusti §. 8. a Sacra Regia Majestate novis Diplomatibus innoventur, si de Bonorum hæreditatione, tranqvilla atqve continua possessione, constiterit, & absqve necessitate, producendi Privilegia sua, in Bonis suis conserventur, & Prædiis Nobilium Allodialibus, jura, si qvæ in Bonis & Præfecturis Ducalibus habeant, ac per documenta, vel longam ac qvietam possessionem, demonstrare possint, uti est jus lignandi, pascendi, piscandi, &c. qviete & citra ullam turbationem retineantur.

14. Contractibus Ducalibus pignoratitiis ut satis fiat, Generosi Oeconomi Bonorum Feudalium cura esse debebit, adeo, ut si possessoribus in Bonis pignoratitiis diutius remanere non placeret, ipsis, post resignationem legitime factam, (modo Bona ista possessoris culpa non sint deteriorata, qvo casu, juxta Decisiones Commissoriales Novellas, procedendum) vel creditum, una cum legitimis suis prætensionibus, juxta tenorem contractus, exsolvantur, vel etiam ad id extenuandum, Præfectura, vel Prædium tale, tradatur, ex qvo juxta consuetam proventuum computationem, prætensiones suas legitimas extenua-

re possint. Illi vero possessores, qvi vel jure extenuationis pignoratitio, vel Arendæ, Bona Ducalia jam tenent, in possessionibus suis, usqve ad finem Contractus, nullo modo turbentur, salvo tamen calculo, juxta anterioris Commissionis Decisiones, & eo qvam firmissime præcauto & inhibito, ne qvisqvam eorum jus suum in extraneum, vel potentiorem, transferat, sub nullitate transactionis, & solutione æqvivalentis summæ ad Fiscum.

15. Bona Ducalia in sempiternum naturam suam retinebunt, & qvæ tempore subjectionis, sæcularia fuerunt, nunqvam in Bona spiritualia permutabuntur, & si illa vel pignori dentur, vel locentur, non aliis, qvam Nobilibus indigenis, relinqventur. Ad arendas autem & administrationem eorundem non solum Nobiles, sed etiam civicæ personæ, idoneæ, possessionatæ, admitti poterunt, Nobilium tamen prima habita ratione, simulqve curabitur, ut possessoribus Bonorum Ducalium, non indigenis, in prætensionibus, qvæ justæ & legitimæ apparebunt & censebuntur, qvamprimum satisfiat, & eorum loco indigenæ assumantur, Dignitariis vero, cum dignitate simul, Præfecturarum administratio non competat.

16. Nobiles, sicuti antea, & in posterum, atqve in æternum, tam in nundinis, qvam omnibus aliis casibus, a vectigalis solutione exempti manebunt, omniaqve vectigalium augmenta, & nova Telonia, in præjudicium Jurium Nobilitatis, qvocunqve nomine veniant, prorsus tollantur. Ne vero Nobiles qvoqve in Bonis suæ possessioni subjectis, privata & nullo jure fundata Telonia, in aggravationem civitatensium & mercatorum, usurpare præsumant, inhibetur.

17. Qvoad rusticos in Rigensium ditiones profugos, in futura cum Ministris extraneis conferentia, huic qvoqve opera dabi-

dabitur, ut retradantur. Pro recuperatione autem transfugorum in Lithuaniam, sufficienter Lege Novella omnibus provisum est, dummodo jure retorsionis, eadem qvoqve in hisce Ducatibus, subditorum ex Lithuania transfugorum Legis & Justitiæ, in extradendis illis, exhibeatur observantia.

18. Jus Indigenatus Nobilitatis Curlandiæ & Semigalliæ in Regno Poloniæ & Magno Ducatu Lithuaniæ, prout est incontestabile, & Constitutione Novella Grodnensi, anno millesimo septingentesimo vigesimo sexto, cautum, ita accessus ad omnes dignitates, uti Nobilibus Polonis & Lithuanis (salvis legibus publicis) eidem Nobilitati pateat.

19. Qvoniam autem Nobilitas horum Ducatuum, ex variis rationibus, impossibilitatem alicujus subsidii, præter servitia Eqvestria, in §. 5. hujus Ordinationis, Sacræ Regiæ Majestati & Reipublicæ ullo unqvam tempore solvendi, vel præstandi, demonstravit, (tametsi juxta paragraphum decimum septimum Privilegii Divi Sigismundi Augusti, ad innatam Ordini Eqvestri generositatem, & spontaneum pro defensione communi concursum, via non præcludatur) volens tamen, ut Respublica ex immediata hujus Provinciæ subjectione sentiat suum utile super illa Dominium, beneficio panis bene merentium, qvod in Bonis Regalibus per totum Regnum Poloniæ & Magnum Ducatum Lithuaniæ sitis, & per distributivam Justitiam Regum conferri solitis, consistit, in hac Provincia sponte sua renunciavit, & privatum hocce particularium meritorum præmium & commodum publicæ utilitati, & emolumento sacrificavit, ita scilicet, ut omnia Bona Domus Ducalis Feudalia in hac Provincia existentia, unqvam possint qvocunqve titulo Feudi, Emphytheusis, vel Juris advitalitii, usibus privatis applicari, nec ullo unqvam modo distributivæ justitiæ Regum subsint, sed

pure

pure & mere ad utilitatem publicam convertantur; Nos igitur laudabili zelo & voluntario consensui Nobilitatis inhærendo, decernimus, ut ex omnibus Bonis & proventibus Ducalibus, fundus perpetuus & inalienabilis, in subsidium virium Reipublicæ, constituatur, & Copiæ peculiares in hac Provincia erigantur, qvæ imperio Ducum exercituum Regni & Magni Ducatus Lithuaniæ suberunt, & ab eorum mandatis dependebunt, ita tamen, ut hæ copiæ, sine omnium Bonorum Nobilium aggravatione, inhospitatione, & alio, qvocunqve nomi-veniant, onere, ex stipendiis vivant, neqve qvisqvam milites ex Cmethonibus Nobilium conscribendi facultatem sibi arrogare præsumat, & si qvis Cmethonum in numerum militum esset assumptus, is Domino suo repetenti instantanee, & absqve ullis diffugiis, restituatur, qvo autem amplior iste fundus esse possit, & Respublica serius qvidem, uberiorem tamen, ex plena præfatorum Bonorum possessione fructum percipere, eoqve majorem numerum copiarum militarium habere valeat, tali modo futuræ eorundem proventuum dispositioni providetur, ut omnes reditus liberi tam ex civitatibus, qvam ex bonis, sylvis, vectigalibus, cæterisqve utili Dominio annexis juribus, provenientes, qvotannis in ærarium publicum collati, reservata pro legitimis expensis, tertio & decimo præsentis Ordinationis Articulo, circumscriptis, sufficienti pecuniæ summa, in reluitionem Bonorum Feudalium oppignoratorum, prævia liqvidatione & calculatione prætensionum applicentur, & qvidqvid proventuum inde accesserit, eadem ratione tollendis prorsus reliqvorum Bonorum oneribus impendatur, donec omnes Præfecturæ & Prædia Feudalia ære alieno liberentur, hoc tamen servato ordine reluendi, ut illa Bona prius recuperentur, ex qvibus, ducta proportione summæ Capitalis, majores reditus per-

percipi possunt. Oeconomus Generalis omnium bonorum & proventuum a Sacra Regia Majestate constituatur, sitqve Nobilis indigena, Curlandus, bene possessionatus, administrationem præfatorum Bonorum & redituum Ducalium solus habeat; Officialibus omnibus salaria sua, annuatim, absqve ulla tergiversatione vel prætextu, inprimis exsolvere teneatur; Qvæcunqve pro exstructione Templorum, juxta decimum Ordinationis præsentis articulum, vel conservatione eorundem & salariis Ministrorum, Xenodochiis, Domibusqve Viduarum, Sholis, Parochiis, juxta veterem usum & continuam praxim, ex Bonis Ducalibus tribui solent, aut ad alias pias causas antiqvitus ex iisdem destinata sunt, & hactenus usitata fuerunt, promte exsolvat, rationes coram Supremis Consiliariis qvotannis fideliter reddat, illi autem, sub occluso rothulo, justificatas easdem Rationes Sacræ Regiæ Majestati & Reipublicæ, ad initium Comitiorum Generalium, transmittant, qvo tempore Oeconomus qvoqve generalis compareat, & calculationem factam examini Ministrorum Status & Belli, utriusqve Gentis, subjiciat. Formula Contractuum futurorum, qvi ab Oeconomo dandi & subscribendi erunt, juxta morem antiqvum conservetur, & si lis inter contrahentes exoriretur, secundum præscriptum Decisionum Commissorialium anni millesimi septingentesimi decimi septimi, dirimatur. Si autem præter spem cuipiam, sive Officiali, sive Templis, vel eorum Ministris, debita salaria, aut Xenodochiis, Domibusqve Viduarum, & in alias pias causas, ea, qvæ legitime competunt, Oeconomus exsolvere retardaret, unicuiqve liceat, per qverelas ad Consiliarios Regentes refugere, qvi plenariam facultatem habeant, illum ad promptissimam exsolutionem ex Bonis Ducalibus, non tantummodo adstringere, sed etiam processu summario coram Judiciis

Judiciis suis, ob non præstitam debitam exsolutionem instituendo, in ejusdem Bonis propriis refusionem damnorum & expensarum decernere, nec ei hoc in passu ad Sacram Regiam Majestatem ulla concedatur Appellatio. In Locatione Bonorum, qvantum sine detrimento Fisci esse poterit, Nobilium indigenarum Curlandorum prima ratio habeatur. Ante factam salariorum, & suprafatorum præstandorum, exsolutionem, nulla pecuniarum summa extra Ducatum mittatur. In Causis Judicialibus, qvæ, exempli gratia, extraditionem Cmethonum, ductum limitum &c. concernunt, & ad solum Regimen spectant, Oeconomus se non immisceat, nec in his casibus legitimas Instantias, juxta Leges & Praxim Provinciæ, ac usitatum Processum Juris, unqvam perturbare præsumat. Bona Ducalia in sua propria & personali administratione solus non retineat, sed tam illa, qvam omnes reditus publicos, vel plus offerenti locet, vel personæ idoneæ ad administrandum concedat. Ipse vero universalem, qvoad ineundos Contractus, instituendosqve & amovendos Administratores, dispositionem, ac supremam, ut res Oeconomica bene tractetur, inspectionem habeat, proventus omnes recipiat, ærario publico præsit, pecuniam Fisco illatam, detractis, juxta anteriora puncta, necessariis expensis, tali ratione, qvalis nunc præscribitur, in recuperationem Bonorum Ducalium, sub onere hypothecario existentium, applicet. Postqvam autem omnia liberata, & copiæ jam erectæ fuerint, stipendia Militaria exacte, juxta dispositionem Reipublicæ, exsolvat. Augendis, qvantum salva æqvitate fieri potest, emolumentis & proventibus publicis, conservandis & meliorandis Bonis Ducalibus, retinendis ac recuperandis eorum Cmethonibus, omnem possibilem curam impendat. Ex administratione & locatione Bonorum ac redituum, nullam privatam uti-

utilitatem qværat, munera etiam ultro oblata a perſonis,* cum illo ex ratione officii aliqvid negotii habentibus, non acceptet, ſed ex aſſignato ſalario vivat, tum Eccleſias Romano-Catholicas, Mitavienſem & Goldingenſem, ſartas tectaſqve conſervet & manuteneat. Qvæ omnia ut eo exactius adimpleat, fidem ſuam ſuper præmiſſis, & ſuper obſervandis Legibus Provinciæ, Juramento coram Conſiliariis Supremis præſtando, circa apprehenſionem officii obſtringere tenebitur; ſi vero aliqvid in damnum Sacræ Regiæ Majeſtatis & Reipublicæ, vel detrimentum Fiſci, contra fidem & obligationem ſuam, fecerit, ex cujuſvis delatione, Commiſſio mixta ex Polonis, Lithuanis, & Curlandis, contra illum inſtituatur, qvæ pro qvalitate delicti, eum pœnis afficere, vel ab officio removere, poterit. Præfectus ſylvarum ſimili ratione Nobilis indigena, juratus & bene poſſeſſionatus, a Sacra Regia Majeſtate conſtituetur, illiqve ſylvarum cura & conſervatio incumbet, curatores & cuſtodes ſaltuum ab illo dependebunt. Duo Magiſtri Teloniorum Libavienſium & Vindavienſium pariter jurati, & exercendo huic muneri idonei, ſine diſtinctione conditionis, Privilegio Sacræ Regiæ Majeſtatis conſtituendi, prædictarum civitatum Portoriis præerunt; Qvidqvid autem ex Teloniis & Sylvis proveniret, ærario Publico inferatur, prædicti qvoqve tres Officiales, tam qvoad diſpoſitiones, pro augmento horum redituum faciendas, qvam qvoad reddendum calculum, ab Oeconomo Generali dependeant. Cum autem ſecundum præſentem Ordinationem Conſiliarii Supremi ab Oeconomo Generali calculum exigere, & ne qvid in damnum Reipublicæ, vel detrimentum Fiſci, fiat, proſpicere teneantur; ad Ordinarium illorum Juramentum, ſeqventia puncta addenda eſſe cenſentur: *Omni pro viribus meis cura, ſollicitudine & vigilantia ad id concurram,*

ut Bona & proventus ad ærarium publicum pertinentes, integre, citra omnem defraudationem, administrentur, in usus a Republica assignatos fideliter applicentur, nec qvisqvam ex illis privatum lucrum, me sciente, percipiat, qvod nec ego ipse pro me, vel pro aliis, directe vel indirecte, qværam, imo, si qvid mihi ab Oeconomo Generali, vel illius gratia ab aliis, oblatum fuerit, non acceptabo, Rationes rei Oeconomicæ qvotannis diligenter, & excluso omni amicitiæ, consangvinitatis, vel præsentis, aut futuræ, utilitatis respectu, ab Oeconomo exigam, illasqve ad initium Comitiorum Generalium Sacræ Regiæ Majestati & Reipublicæ eadem fidelitate transmittam; si qvid ab Oeconomo, vel per negligentiam & conniventiam illius ab aliis, in præjudicium Civitatum, Præfecturarum, Bonorumqve Ducalium & Fisci publici, fieri advertero, Sacræ Regiæ Majestati deferam, in omnibus deniqve damna publica avertere, commoda & emolumenta procurare, satagam. Qvo autem plenius integræ proventuum publicorum administrationi provideatur, & Officiales in obeundis muneribus suis exactiores sint, Procurator Fiscalis a Sacra Regia Majestate constituetur, cujus officium erit, omni possibili conatu ad id incumbere & providere, ne reditibus Reipublicæ, civitatibus, Bonisqve Ducalibus damnum aliqvod a qvopiam inferatur, ne Præfecturæ & Prædia, sive per incuriam Oeconomi, sive per iniqvas exactiones & oppressiones Cmethonum, in deteriorem statum collabantur, ne sylvæ & saltus devastentur, ne proventus publici, per favorem vel dolum, minori pretio, qvam deberent, locentur, ne in Contractibus & calculationibus aliqva collusio fiat, vel pecunia publica in privatos usus convertatur, aut qvisqvam ex Fisco & fundis ad Fiscum pertinentibus lucrum aliqvod privatum habeat, utqve Officiales officia sua, omni qva par est diligentia, exerceant,

ceant, & Jura Reipublicæ, & hujus Provinciæ nullum præjudicium patiantur, vel labefactentur. Si qvid vero in contrarium a qvocunqve ageretur, id Sacræ Regiæ Majaſtati & Miniſtris, idem Fiſcalis fideliter deferre tenebitur; munera, ſub pœna peculatus, a nemine acceptabit, nihil damnoſum Fiſco & Reipublicæ per favorem, reſpectum, aut ob pollicitationes, vel ſpem alicujus proprii emolumenti, reticebit, & ſuper omnibus præmiſſis punctis Juramentum coram Supremis Conſiliariis præſtabit.

20. Id deniqve firmiſſime & omni meliori modo ſpondetur, & cavetur, ex mutuis Reipublicæ & hujus Provinciæ vinculis & ſtipulationibus, qvod Ducatus hi Curlandiæ & Semigalliæ nunqvam a Regno Poloniæ & Magno Ducatu Lithuaniæ ſeparabuntur, vel alii exotico Dominio, aut Regimini, cedentur, ſed in æternum tanqvam indiviſibile politici Reipublicæ corporis membrum, ſub Regum & Reipublicæ Dominio, perpetuaqve & immediata ſubjectione, permanebunt, nec ſtatus eorum jam conſtituendus ullo modo, ſine conſenſu Generoſi Ordinis Eqveſtris, immutabitur; Noſqve omni ſtudio & conatu poſſibili promoturos & curaturos fore, ut Jura eorum antiqva, & qvæ jam a Commiſſione Noſtra ipſis ſtipulantur, in Comitiis Generalibus proxime venturis, a Sacra Regia Majeſtate & Republica ſolenniter confirmentur & approbentur, atqve hoc modo autoritatem æternam obtineant.

21. Si qvid vero ob anguſtiam temporis omiſſum, qvod Provinciæ huic proficuum & ex uſu eſſet, eorum a Sacra Regia Majeſtate & Republica poſtulandorum, non præſcinditur facultas.

 XXIV.

XXIV.

Subſcriptiones manuum propriarum Commiſſariorum S. R. Majeſtatis & Reipublicæ, ad corroborandam Ordinationem futuri Regiminis Ducatuum Curlandiæ & Semigalliæ,

Mitaviæ, d. 5. Dec. A. 1727.

(L. S.) Chriſtophorus Joannes Szembek, Epiſcopus Varmienſis & Sambienſis, S. R. Majeſt. & Reipubl. Commiſſarius, *mp.*

(L. S.) Caſimirus Oginski, Palatinus Trocenſis, Capitaneus Vſpolienſ. Commiſſarius S. R. Majeſtatis & Reipublicæ.

(L. S.) Stanislaus Dœnhoff, Palatinus Polocenſis, Exercitus M. D. Lithuan. Dux Campeſtris, Capitaneus Neocorcinenſis, S. R. Majeſtatis & Reipublicæ Commiſſarius, *mp.*

(L. S.) Jacobus in Skrzynno Dunin, Referendarius Regni, Vislicenſ. Radoſycenſ. Lipnicenſ. Capitaneus, S. Regiæ Majeſtatis & Reipublicæ Commiſſarius, *mp.*

(L. S.) Joſephus Nakwaski, Capitaneus Ciechanovienſis, S. R. Majeſtatis & Reipublicæ Commiſſarius, *mp.*

(L. S.) Jacobus Franciſcus Szembek, Capitan. Tolkmicenſ. *mp.*

(L. S.) Adamus Kraſinski, Pincerna Ciechanovienſis, Colonellus & Commiſſarius S. R. Majeſtatis & Reipublicæ.

(L. S.) Michael, Dux in Olyka & Nieſwiez Radziwill, Capitaneus Premislienſis.

(L. S.) Joſephus de Campo Scipio, Capitaneus Lidenſis, Commiſſarius Sacræ Regiæ Majeſtatis & Reipublicæ.

(L. S.) Joannes Sigiſmundus de Wahlen, Vexillifer Diſtrictus Grodnenſis, S. R. Majeſtatis & Reipubl. Commiſſar. *mp.*

(L.S.) An-

(L.S.) Antonius de Eperiefs, Colonellus S. Regiæ Majestatis, Commissarius S. R. Majestatis & Reipublicæ.

(L.S.) Christophorus Manteuffel Kielpinski, Abbas Sieciechioviensis, Commissionis Sacræ Regiæ Majestatis & Reipublicæ Secretarius.

(L.S.) Sebastianus Rybczynski, Decretorum Curiæ Regni & Commissionis S. R. Majestatis & Reipubl. Notarius, *mp.*

XXV.

Acceptatio ejusdem Ordinationis a supremis Consiliariis Curlandiæ & Semigalliæ, per Mareschalcum & Deputatos omnium Districtuum, suo, ac totius Nobilitatis, omniumqve Statuum hujus Provinciæ, nomine subscripta, appositisqve sigillis munita, cum supplicatione, ut hæc eadem Ordinatio manuteneatur & in futuris Comitiis confirmetur, annexa:

QVemadmodum suprascriptam Ordinationem futuri Regiminis in omnibus suis Articulis per totum acceptavimus; Ita Celsissimam hanc Commissionem de benignissime promissa & promovenda ejusdem in Comitiis Generalibus proxime futuris confirmatione, humillime ac instantissime imploramus.

(L.S.) Adamus Casimirus Kosciusko, Landhoffmeisterus & Supremus Consiliarius, *mp.*

(L.S.) Casimirus Christophorus Brackel, Cancellarius & Consiliarius Supremus, *mp.*

(L.S.) Carolus Fircks, Oberburgrabius & Supremus Consiliarius, *mp.*

(L.S.) Phi-

(L. S.) Philippus Heinricus Hahn, Landmareſchallus & Supremus Conſiliarius.

(L. S.) Heinricus Johannes a Meerfeld, Subjudex Goldingenſis, Deputatorum Mareſchallus, & Diſtrictuum Goldingenſis & Vindavienſis Deputatus, *mp.*

(L. S.) Georgius Fridericus Klopmann, Capitaneus Schrundenſis, Diſtrictus Mitavienſis Deputatus, *mp.*

(L. S.) Chriſtophorus Joannes de Brucken, dictus Fock, Deputatus Mitavienſis.

(L. S.) Chriſtophorus Fircks, Deputatus Diſtrictus Talſenſis.

(L. S.) Georgius Fridericus Fircks, Deput. Diſtrictus Talſenſis.

(L. S.) Philippus Georgius Hahn, Deputatus Diſtrictus Bauſcenſ.

(L. S.) Gerhardus Erneſtus Haudring, Subjudex Selburgenſis, Deputatus Diſtrictus Dunaburgenſis & Translautzenſis.

(L. S.) Gotthardus Erneſtus de Budberg, Deputatus Diſtrictuum Neugutenſis & Baldonenſis.

(L. S.) Alexander Fridericus Korff, Deputatus Diſtrict. Selburg.

(L. S.) Heinricus Gerhardus de Plettenberg, Diſtrictuum Aſcheradenſis & Nerfftenſis Deputatus.

(L. S.) Magnus Chriſtophorus Korff, Deputatus Diſtrictus Tuchumenſis, & ex plenipotentia Joannis Melchioris Tunis, Deputati Tuchumenſis.

(L. S.) Georgius Melchior Stempell, Deputatus Autzenſis & Irentzhofienſis, & ex plenipotentia Friderici Henrici a Biſtram, Deputati Autzenſis & Irentzhofienſis.

(L. S.) Gerhardus Wilhelmus Nagel, Diſtrictus Alſchwangenſis Deputatus.

(L. S.) Fridericus Caſimirus de Brucken, dictus Fock, Diſtrictus Candavienſis Deputatus.

(L.S.) Tam

(L. S.) Tam nomine Mandatario Heinrici Christiani de Offenberg, Capitanei & Deputati Doblenensis, qvam meo, subscribo Gotthardus Fridericus de Lœbel, Deputatus Doblenensis, *mp.*

(L. S.) Fridericus Manteuffel, nomine Szœge, Deputatus Districtus Eravensis, *mp.*

(L. S.) Petrus Koschkull, Zabeliensis Districtus Deputatus, pro se & Mandatario nomine Ottonis Friederici Behr, Deputati Districtus Fravenburgensis, itemqve Wilhelmi Alexandri de Heuking, Deputati Zabeliensis.

(L. S.) Georgius Heinricus Hahn, Deputatus Candaviensis & Neunburgensis.

(L. S.) Andreas Gotthardus Manteuffel, nomine de Szœge, Deputatus Districtus Sessaviensis.

(L. S.) Gebhardus Johannes Keyserlingk, Deputatus Districtus Durbensis & Grambsdensis pro se, & Mandatario nomine Nicolai Korff, Deputati Hasenpothensis.

XXVI.

Excerptum ex Constitutionibus Comitiorum Pacificationis extraordinariorum

Varsaviæ, mense Junio, A. 1736.

hahitorum,

Qvoad momenta Ducatus Curlandiæ & Semgalliæ concernentia,

Juxta exemplar Authenticum Polon. pag. 16. & translationem Latinam, pag. 28. n. 59. sqq.

CElsissimo Principi Primati, una cum præsenti Senatu, ad expediendas conferentias cum Ministris extraneis, utrumqve

qve negotium concredimus ac committimus, ut Ducatus Curlandiæ, tanqvam Reipublicæ feudum, ab externis prætensionibus liberetur, & Dux Ferdinandus, vigore Investituræ, possessionem hujus Ducatus qvamprimum adeat, recognitionemqve sui ab incolis Curlandiæ, cum debita obedientia, obtineat, similiter, ut Territorium Elbingense & pignora Reipublicæ in Regestro connotata, eliberentur, necminus Præfectura Drahimensis, ad mentem Constitutionis anni 1726. redimatur.

Celsissimo vero Principi, Christophoro Szembeck, Episcopo Varmiensi, Commissionis Curlandicæ Præsidi, tam pro opera ibidem præstita, qvam pro transportatione Coronarum & Archivi Cracoviam, nec non & aliis Commissariis ad eandem Curlandiam designatis, pro labore & sumtibus, qvos inserviendo patriæ ex propriis fortunis impenderunt, omnem promittimus gratitudinem.

Eosdem autem Ducatus Curlandiæ & Livoniæ, circa exercitium Augustanæ Fidei, juxta Constitutionem anni 1726. cum cæteris ritibus, securos reddimus.

Item:

Ex Articulis Pactorum Conventorum, iisdem Constitutionibus insertis,

Juxta exemplar Originale Polon. p. 62. ejusque translationem Latinam, pag. 89. n. 166.

Similiter, ut Ducatus Curlandiæ ab externis prætensionibus liberetur, & Dux, Dominus Ferdinandus, uti investitus, juribus suis uti, & ad possessionem bonorum suorum pervenire possit, & ut incolæ hujus Ducatus, Duci, licet pro nunc, ob impedimenta extranea, absenti, in Regno tamen commoranti, debitam præstent obedientiam, conjunctim cum Republica curas Nostras indilate impendemus, salvis hujus Ducatus, Nobilitatis

litatis & Civitatum, antiqvis juribus. In avulsionem vero hujus Ducatus a Corpore Reipublicæ nunqvam consentiemus.

Et paulo post:

Inter propositiones essentiales Serenissimæ Reipublicæ & omnibus Ordinibus Regni & M. D. L. per Ministros Plenipotentiarios, ex parte Serenissimi Principis Poloniæ & Electoris Saxoniæ, oblatas,

ibidem pag. 97. n. 189.

Curlandiam, aut aliam qvamcunqve Provinciam, a Corpore Reipublicæ avelli, haud patietur.

XXVII.

Excerptum aliud ex iisdem Constitutionibus Comitiorum Pacificationis extraordinariorum,

Qvoad Articulum Commissionis Curlandicæ anno 1727. habitæ, ulteriusqve approbatæ & illustratæ,

Juxta Exemplar Originale Polon. pag. 100. ejusdemqve translationem Latinam, pag. 153. n. 269.

Titulo Curlandia:

COmmissionem Curlandicam, cujus operosus & laudabilis in rem boni publici Actus inextinctam apud Nos & Rempublicam promeruit gratitudinem, in omni, qvicqvid in rem conservandi Juris Nostri Regii & Reipublicæ similiter ac unionis nunqvam dividendæ cum corpore Reipublicæ hujus Provinciæ, effecit, confirmantes hujus Ducatus jura, privilegia & libertates, approbamus.

Matura autem deliberatione perpendentes, novam Ordinationem, per hanc Commiſſionem concertatam, & ad approbandum exhibitam, multis ex cauſis, ſimiliter ac ex circumſtantia inoneratorum proventuum Menſæ Ducalis, Nobis & Reipublicæ non majus, qvam ſub Regimine Ducum, emolumentum eſſe allaturam, tum qvoqve ad inſtantes & ſupplices Nobilitatis Curlandiæ preces, ut in futurum qvoqve tempus, ſub Regimine Ducis, juxta Pacta Subjectionis & Formulam Regiminis maneat, reſpicientes, providenteſqve, ut a Principe feudatario & obſtricto vaſallatui Noſtro, ſubſidia militum ſubminiſtrentur, neqve minus, ut inveſtiendus a Nobis Dux, onerata bona Menſæ Ducalis in emolumentum & rem Feudi redimat & liberet, hanc, ex ſententia omnium Statuum, ratione hujus Provinciæ conſtituimus ordinationem; qvod, poſt moderni Principis Ferdinandi, qvem ad vitæ tempora circa feudum & jura ejusdem conſervamus, & per illum Stirpis Kettlerianæ deceſſum, alîi, cum ſucceſſoribus ejus maſculis, de lumbis procedentibus, inveſtituram Ducatus Curlandiæ, Diplomate Noſtro, juxta practicatum in ſimili modum, conferemus.

Vt vero hoc non ſolum cum pleno Reipublicæ commodo, ſed etiam cum ſolidiſſima conſervatione unionis hujus Ducatus cum Republica, fiat, ad formandas huic Principi, qvem inveſtiemus, conditiones, præfatam Commiſſionem anni 1727. ad eum actum prorogamus, illiqve autoritatem tribuimus.

XXVIII.

XXVIII.

Reſcriptum Sacræ Regiæ Majeſtatis ad GG ſupremos Conſiliarios totamqve Nobilitatem & incolas Ducatuum Curlandiæ & Semgalliæ, poſt fata ultimi ex Kettleriana ſtirpe Curlandiæ Ducis, Ferdinandi, pro admi-niſtrando aperti Ducatus Regimine & continuando homagiali in ſupremum & directum Poloniæ Regni dominium obſeqvio,

Anno 1737. emanatum.

AUGUSTUS III. D. G. &c. Generoſis Supremis Conſiliariis, Majoribus & Minoribus Capitaneis, totiqve Ordini Eqveſtri, & incolis Ducatuum Curlandiæ & Semigalliæ, fideliter Nobis dilectis, Gratiam Noſtram Regiam: Generoſi, fideliter Nobis dilecti: Qvandoqvidem, diſponente Deo, Illuſtriſſimus Princeps, Ferdinandus, fel. rec. Curlandiæ & Semigalliæ Dux, Conſanguineus Noſter grate Nobis dilectus, non ſine ſenſu Noſtri doloris, ultimum tandem Gedani obiit diem, qvartum videlicet menſis Maji & anni currentis, taliterqve per fata ſua ſterilia ſtirpem Kettlerianam Ducum Curlandiæ & Semigalliæ ex maſcula linea provenientem in perſona ſui extinxit; partium Noſtrarum eſſe dignoſcimus, Fidelitates veſtras per præſentes hortari atqve monere, prout de facto hortamur atqve monemus, *quatenus tum Jurium Noſtrorum ſupremi & directi in Ducatum Curlandiæ & Semigalliæ dominii Noſtri, tum vinculorum ſuorum jurisjurandi, vigore Pactorum Subjectionis & Formulæ Regiminis ac Ordinationis, debitam rationem habentes, in plena & perfecta erga Nos atque Rempublicam fidelitate, obſequio & ſubjectione, intaminate perſeverent, adminiſtrationem juſtitiæ & curſum judiciorum continuent,*

 ac

ac nihil quidquam in contrarium iisdem Pactis Subjectionis & Juribus Nostris ac Legibus Regni attentare præsumant, pro certo & infallibili apud se tenentes, qvod Nos adjuvantibus Superis omnia pro commodo & utilitate eorundem Ducatuum Curlandiæ & Semigalliæ perficere non intermittemus. Interim ne qvid detrimenti, tam in genere tota Provincia Curlandiæ & Semigalliæ, qvam in particulari Bona Ducalia, tam Feudalia, qvam Allodialia, ullatenus patiantur, Generosos supremos eorundem Ducatuum Consiliarios, fideliter Nobis dilectos, serio reqvirimus, iisdemqve mandamus, *quatenus juxta Formulam Regiminis ac Ordinationes Commissariorum Nostrorum & Reipublicæ omnia administrationis & gubernationis munia exercere, non intermittant, non involando ullatenus, sub quocunque prætextu vel colore, in eas Status materias, quæ a Nostra & Commissariorum Nostrorum Reipublicæ decisione atque dispositione pendent.* Insuper habere volumus, *ut iidem Generosi Supremi Consiliarii, pro munere suo, non tantum Inventarium de omnibus generaliter Bonis Domus Ducalis, tam mobilibus, quam immobilibus confici, consignationemque seu Regestrum omnium inibidem debitorum, activorum & passivorum, reperibilium, sine mora conscribi curent, ac Nobis incessanter transmittant; verum etiam eo sedulo incumbant, atque procurent, ne proventus ex ipsis Bonis Ducalibus Feudalibus & Allodialibus, quocunque modo vel prætextu, distrahantur, imo potius eosdem omnes proventus, salariis nonnisi Officialium & quæ ad conservationem Status internam de necessitate requiruntur exceptis, intacte conservent, ulterioremque Nostram desuper dispositionem exspectent.* Qvod reliqvum est, Fidelitates vestras in universum omnes securas esse volumus, non solum peculiaris erga easdem gratiæ & protectionis Nostræ Regiæ, sed etiam indemnitatis omnium Jurium ac Privilegiorum suorum, qvorum Nos Fidelitatibus Vestris manutentionem & conservationem

tionem appromittimus & spondemus, eorundem Ducatuum Curlandiæ & Semigalliæ interesse & commoda pro Nostris reputantes. Vt itaqve hæc Nostra expressa voluntas ac intentio omnibus & singulis plene innotescat, mandamus, ut præsens Rescriptum Nostrum in Acta Publica inscribi, illudqve more solito publicari, ac ab omnibus exactissime observari, curent, pro gratia Nostra. In qvorum fidem præsentes manu Nostra subscriptas obsigillari mandavimus. Datum &c. &c.

XXIX.

Descriptio solennis ritus, & apparatus,

qvo Celsissimus qvondam Princeps, Fridericus Casimirus, in Livonia Curlandiæ & Semgalliæ Dux, coram Throno Regio Serenissimi Principis ac Domini, Domini Johannis III. D. G. Regis Poloniæ, Magni Ducis Lithuaniæ, &c. per Legatos suos, Christophorum Henricum, Liberum Baronem de Puttkammer, Supremum Ducatus Præfectum, & Dietericum ab Alten-Bockum, supremum Ducatus Mareschalcum, supremosqve suos Consiliarios, renovationem Investituræ de Ducatibus Curlandiæ & Semigalliæ,

Varsaviæ, d. 25. Martii, A. 1683.

publice recepit,

Pro exemplo consueti moris investiendi Curlandiæ Duces a Serenissimis Poloniæ Regibus adhibiti,

Ex Nicolai de Chwalkow Chwalkowsky, Equitis Poloni, & quondam ipsius Friderici Casimiri, Curlandiæ Ducis, in Aula Regis Polon. Residentis, Jure Publico Regni Poloniæ, Regiomonti, dicto anno 1683. edito, eidemque subjunctis ad calcem Additionibus, pag. 573.

de verbo ad verbum excerpta:

Præ-

PRæfixo a S. R. Majeſtate ad exſolvendum homagium termino duarum hebdomadarum ante Generalia Regni Comitia, d. 27. Jan. præterlapſi anni 1683. indicta, Domini Legati pone Varſaviam veniebant, Sereniſſimumqve Regem præſtolabantur. Poſtqvam dies 1. Februarii ſolenni introitui determinatus illuxiſſet, circa meridiem Domini Senatores & Officiales Regni, Magniqve Ducatus Lithuaniæ, tum & Sereniſſimi Regis Sueciæ, atqve Sereniſſimi Electoris Brandenburgici, Conſiliarii & Reſidentes, ille Dominus Simon Dörffler, hic Dominus Chriſtophorus de Wichert, rhedas ſuas, ad numerum triginta qvinqve, ad Curiam Secretarii Regni Majoris, Domini Franciſci Prazmowski, Stawki nominatam, mittebant. Poſtremo etiam obviam venit prædictus Secretarius Major, nomine Sacræ Regiæ Majeſtatis, & in Curia ad fores Domus ſubſiſtens, rhedaqve egreſſus, propenſam Regiæ Majeſtatis voluntatem erga Illuſtriſſimam Celſitudinem Suam denunciabat, ac de adventu DD. Legatorum gratulatus, eos in rhedam Regiam invitabat. Ad hæc Dominus Baro de Puttkammer, tanqvam primarius Legatus, reſpondit, & ſic in Curru Regio, a cujus latere uno Teutonici, ab altero Turcici, Celeres & Satellites Regii ibant, ad Civitatem per aream, in qva Cohors militum Supremi Mareſchalci Regni, Domini Stanislai Lubomirski, ſoluto vexillo in armis ſtabat, eqvitibus plus minus trecentis, & rhedis triginta tribus, præcedentibus, tribus vero ſeqventibus Dominorum Legatorum rhedis, cum eqvis deſultoriis, tubicinibus ac eqvitibus, atqve poſt hos rhedis duabus Dominorum ſupradictorum Reſidentum, ad hoſpitium in ſuburbio deducebantur. Die qvarto ejusdem ad Audientiam privatam vocabantur, Supremus Stabuli, nunc Cameræ Regni, Præfectus, Dominus Matczynski, (ægrotante Regni Succamerario) cum aliqvot Au-

licis

licis in prima Anticamera obviam veniens, illos per marmoream ad proximam Cameram deducebat. Sereniſſimus Rex ad menſam ſtabat, qvem ſupraallegatus Baro de Puttkammer aſſabatur, tradebatqve literas credentiales Celſiſſimorum Ducum, tam primogeniti Domini *Friderici Caſimiri*, qvam poſtgenitorum, Domini *Ferdinandi*, & Domini *Alexandri*. Sacra Regia Majeſtas affectum ſuum erga Illuſtriſſimam Celſitudinem ſuam declarabat, & de nonnullis cum iisdem colloqvebatur, donec Præfectus Stabuli Regni Legatos, & poſtmodum Nobiles Legationi additos, ad oſculum manus Regiæ invitabat. Die qvinta ejusdem per Dominum Zaluski, Cancellarium Sacræ Reginalis Majeſtatis, nunc ſimul Epiſcopum Kyovienſem, ante fores Cameræ prioris excepti ad Reginalem Majeſtatem deducebantur, cui negotia Illuſtriſſimæ Celſitudinis ſuæ commendabant, & literas Credentiales tradebant, qvibus acceptis Sacra Reginalis Majeſtas benignitatem ſuam Regiam erga totam Domum Ducalem conteſtabatur, inprimis vero ea Celſiſſimam Duciſſam, non minus, qvam piæ memoriæ Duciſſam, ſe complecti, aſſerebat. Eosdem hac ipſa qvoqve hora Sereniſſimus Poloniæ Princeps ad ſe admittebat. Seqventibus poſtea diebus Dominos Senatores atqve Officiales aggrediendo, ea, qvæ ipſis commiſſa erant, promotioni eorum, more ſolito committebant, donec prorogatus a Sacra Regia Majeſtate terminus, dies nempe XXV. Menſis Martii, qvo, utpote die Feſto Annunciationis Beatiſſimæ Virginis, Conſilia Comitialia ceſſabant, appropinqvaret, ubi circa horam primam a meridie Dominus Losz, Caſtellanus Culmenſis, & ſupradictus Secretarius Regni Major in curru Regio ad hoſpitium Legatorum veniebant, atqve eosdem ad Arcem deducebant. Celeres & ſatellites Regii, tam Germani, qvam Turcici, a lateribus rhedæ ibant, & non procul

cul ab hoſpitio Legatorum usqve ad Arcem milites DD. Senatorum & Officialium, tum vero in interiori exterioriqve Arcis area cohortes cuſtodiæ corporis Regii, ſolutis vexillis, qvorum duodecim erant, armatæ ſtabant, atqve clangore tubarum & tympanorum Legati excipiebantur. Venientibus ad Portam ferream Auguſtalis Senatorum præfatus Regni ſupremus, nec non Curiæ, Mareſchalci, Dominus Hieronymus Lubomirski, Principes Romani Imperii, obviam veniebant, & præmiſſis Curialibus Legatos ad Thronum Regium deducebant, in qvo Sacra Regia Majeſtas ſedens conſpiciebatur. A dextris Dominus Joannes Gninski, Vice-Cancellarius Regni, a ſiniſtris Dominus Vice-Cancellarius M. D. Lithuaniæ, Dominicus Nicolaus, Princeps Radziwill, porro ad latus ſolii a dextris Dominus Raphael, Comes in Leszno Leszczynski, Vexillifer Regni, vexillum feudale tenens, a ſiniſtris Dominus Warszycki, Enſifer Regni, diſtricto gladio, ſtabant. In gradum Throni Regii inferiorem poſtqvam in genua ritu ſolito procubuerant Legati, Dominus Liber Baro de Puttkammer ſeqventis tenoris verba fecit:

Hoc eſt illud encomium nominibus hominum altius, quod ab Altiſſimo Regibus tribuitur: Dii eſtis. Inter hos terreſtres Deos Sacra Regia Majeſtas Veſtra in Throno ſuo collocata de eo non aliter, tanquam de cælo, divite imbre beneficia Regia in terram Suam Sarmaticam, & ejusdem Status, membra, Principes hominesque, mittit ac demittit. Equidem virtus Sacræ Regiæ Majeſtatis Veſtræ non patitur, ut aliquid radiis Majeſtatis & benignitatis Regiæ vacuum reperiatur, ſed ut omnia divinitate Regia impleantur, virtus Regia Regium eſſe cenſet. Proveniunt autem ex auguſtiſſima Sacræ Regiæ Majeſtatis Veſtræ manu nova & vetera beneficia, illa tribuendo, hæc conſervando. Vtroque horum hac vice Illuſtriſſima Domus Curlandica

dica exornatur, dum Sacra Regia Majeſtas Veſtra Illuſtriſſimo ac Celſiſſimo Principi, Domino FRIDERICO CASIMIRO, in Livonia Curlandiæ & Semigalliæ Duci, Domino Noſtro gratioſiſſimo, clementiſſime permiſit, per Legatos confirmationem Jurium veterum & Inveſtituram accipere, Homagiumque debito ritu præſtare. Quam ſuavitatem Regiæ Gratiæ demiſſa gratiarum actione exoſculando, flexis genibus per Nos rogat, dignetur Sacra Regia Majeſtas Veſtra, tanquam ſupremus & directus Dominus, tenore Privilegiorum & Inveſtiturarum, jura per Sereniſſimos Reges Poloniæ & Magnos Duces Lithuaniæ ac S. R. Majeſtatem Veſtram ipſammet clementiſſime conceſſa, clementiſſime confirmare, eumque de omnibus terris, civitatibus, villis, pagis, vicis, arcibus, præeminentiis, juribus omnibus & ſingulis, totoque Ducatu Curlandiæ & Semigalliæ in Livonia, inveſtire. Quo nomine, juxta laudabilem morem in majoribus Feudis receptum, per Nos flexis genibus venerabundus ad pedes Sacræ Regiæ Majeſtatis Veſtræ provolutus Homagium præſtare, & Juramento fidem ac obedientiam per me ſolennibus verbis obſtringere paratus eſt.

Hiſce pronuntiatis reſpondebat ſupramemoratus Dominus Pro-Cancellarius Regni; Deinde Regia Majeſtas Feudale Vexillum e manibus Domini Vexilliferi apprehendebat & primario Legato ad manus tradebat, atqve eundem apprehendentem vexillum ſeqventibus alloqvebatur verbis:

Nos Johannes, Rex Poloniæ &c. tanquam naturalis & ſupremus Dominus totius Livoniæ, Ducatuumque Curlandiæ & Semigalliæ, annuendo precibus illuſtriſſimi Friderici Caſimiri, Ducis, tradimus & concedimus Illuſtritati ſuæ in feudum terras, civitates, oppida & arces, commemoratorum in Livonia Curlandiæ & Semigalliæ Ducatuum, & ad eosdem Illuſtritatem ſuam, per hujus ve-

xilli traditionem, in persona Generositatis tuæ, Christophori Henrici Putkameri, uti Plenipotentis Illustritatis suæ, investimus & instituimus, gratia & benignitate Nostra, qua Illustritatem suam ob singularia in Reges Regnumque Poloniæ, Antecessorum quoque ejusdem Illustritatis Ducum, merita complectimur, speramusque, Illustritatem suam, beneficii hujus memorem semper futuram, gratamque pro eo se exhibituram.

Deinde cum liber Evangeliorum, qvem Dominus Secretarius Regni Major tenebat, in sinum Sacræ Regiæ Majestatis poneretur, primarius Legatus in supremo Throni Regii gradu genibus flexis manu sinistra feudale vexillum tenens, dextra vero super Evangelio posita, juramentum fidelitatis, secundum formulam Juramenti anno 1639. prælegente eandem Domino Pro-Cancellario, exsolvebat; Qvo præstito Collegæ suo, Domino Dieterico ab Alten-Bokum, Vexillum tradebat, & ad inferiorem Theatri gradum in genua iterum procumbens pro Clementissima Infeudatione, tenore seqventium, gratias agebat:

Hic est ille dies solennis, quem Sacra Regia Majestas fecit, sed nec dies præsens, nec futura Illustrissimi ac Celsissimi Principis Nostri ætas, sufficient, deprædicandi laudibus gratiisque debitis benevolentiam Regiam, qua Sacra Regia Majestas Vestra eundem, tradito hoc vexillo, de toto Ducatu Curlandiæ & Semigalliæ in Livonia clementissime investire voluerit, in quo vexillo Illustrissimus ac Celsissimus Princeps omnem fortunam, honores ac dignitates vehit. Felix tantarum rerum Portitor & Vector, sed felicior altera ex parte Illustrissimus ac Celsissimus Princeps Noster, quod in hoc vexillo etiam clementissimum tanti beneficii Datorem & Conservatorem vehat. Vehit enim in hoc vexillo augustissimum nomen Joannis Tertii,

tii, sacram salutis suæ ancoram, vehit contra omnes infortunii sagittas sacrum Sacræ Regiæ Majestatis Vestræ scutum, verius, quam Ancile Romanorum, de cœlo delapsum; Vehit alitem Jovis, qui, ad motum Serenissimorum Poloniæ Regum, expansis & coruscantibus alis, sæpe ad ipsos maris Baltici terminos volavit, & Domum Curlandicam texit ac tegit, vehit Equitem, qui jussu Regum semper adfuit, juvavit & proderit. Vehet autem hoc Palladium & Ancile suum omni venerationis cultu, eaque fide, quæ indissolubilior nodo Gordio, quem ferrum solvebat, est, annabit ac perennabit. Patet toti Christianitatis Orbi, quod Illustrissimus Princeps Noster prætextam gerens in carcere, schola illa ferrea ab Illustrissimo suo Parente hanc fidem didicerit & hauserit, quæ pro gloria Sacræ Regiæ Majestatis Vestræ & bono Reipublicæ nullam calamitatis ferrique scit timere duritiem, unde Illustrissimus Princeps Noster vitam & quicquid fortunarum Sacra Regia Majestas Vestra, tanquam benignissimus Pater, nunc in Domo sua plantavit, & imposterum plantabit, in honorem Sacræ Regiæ Majestatis Vestræ & inclytæ Reipublicæ consecrat atque offert, ut sic fide illius homagiali, purius auro inventa, corona gratiæ & protectionis Regiæ in Domo illius Ducali æternum reposita inveniatur.

Postea sæpefatus Dominus Vice-Cancellarius respondebat; Qvibus finitis Dominus Marschalcus Regni Supremus Legatos ad capiendam sessionem in sellis, a sinistra Sacræ Regiæ Majestatis in supremo theatri gradu positis, invitabat, & Legatus Secundarius Engelbrechto Taube, Legationis Mareschalco, Vexillum feudale tradebat. Inter sedendum primarius Legatus, juxta pristinam consuetudinem, paulum caput tegebat, mox tamen in honorem Sacræ Regiæ Majestatis iterum denudabat, Aulici vero Ducales, nimirum Joannes Otto Rappe,

 Feli-

Felicianus Bukowski, Joannes Georgius Collrepp, & Henricus Wilhelmus Medem, ut & Secretarius Legationis, Polycarpus Bauer, ad osculum manus Regiæ vocati admittebantur. Hisce omnibus, DEI auxilio, feliciter peractis, Legati adhuc brevibus verbis Regiæ Majestati gratias pro beneficio Celsissimo Duci dato egerunt humillimas. Tandem inter congratulationes varias DD. Senatorum, qvi Legatis accedentibus, & excedentibus assurgebant, Dominus Regni & Curiæ Marschalci Legatos comitabantur, seqvente proxime & vexillum gerente Mareschalco Legationis, qvi, postqvam ad rhedam Regiam Legati venerant, vexillum prædicto Domino Rappe porrigebat, & sic Legati ex Arce per supramemoratos Dominos, Castellanum ac Secretarium Majorem, eadem solennitate, qva deducti fuerant, (nisi qvod Vexillum feudale proxime ante currum dictus Rappe Eqves ferebat) per civitatis aream & suburbium ad hospitium, ubi tubicines & tympanistæ Regii, tympanorum & tubarum hilari clangore, illos excipiebant, deducebantur. Finitis feliciter Comitiis, Sacra Regia Majestas, uti antehac multum pro bono publico curis, ita posthæc aliqvid dedit lætitiæ, atqve in Palatio ad Villam novam convivium celebravit, ubi exhibuit

Qvalia purpurei comedunt obsonia Reges.

Dabatur etiam honos ibidem comparendi Legatis Curlandicis. Primum locum occupabat Augustissimi Imperatoris Orator, Dominus Comes de Waldstein, alterum Serenissimi Electoris Brandenburgici Legatus, Dominus de Crocau, Consiliarius Status intimus, proxime Domini Legati Curlandici, & deinde DD. Senatores assidebant.

Ad materiam de Ceremonis Investituræ adjungo *Reversales*,

les, a Divo Rege Michaele, prima vice, & a Majeſtate nunc Regnante bis, datas:

Joannes Tertius, Dei Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Kyoviæ, Volhyniæ, Podoliæ, Podlachiæ, Livoniæ, Smolenſciæ, Severiæ, Czerniechoviæque, Significamus præſentibus literis Noſtris, quorum intereſt, univerſis & ſingulis: Miſiſſe ad Nos, pro termino recipiendæ Inveſtituræ aſſignato, Illuſtriſſimum Principem, Dominum Fridericum Caſimirum, in Livonia Curlandiæ & Semigalliæ Ducem, Legatos ſuos, Generoſos Chriſtophorum Henricum, Liberum Baronem de Puttkammer, Supremum Ducatus ſui Præfectum, & Dietericum ab Alten-Bokum, Supremum ſuum Mareſchalcum, ſupremoſque Conſiliarios Ducatus ſui Curlandiæ, & quoniam Nos in hoc Actu Homagii, more veterum Inveſtiturarum, Regalia indutos, Coronæque homagiali redimitos eſſe, certæ non permiſerunt legalitates, declarandum cenſuimus, declaramuſque hiſce literis Noſtris, quod Actus hic nihil receptæ conſuetudini & ſolennitati infeudationis ex pacto & providentia præjudicare, nec pro exemplo aut præjudicato in futuris, DEO dante, Homagiis reputari poterit. In cujus rei fidem præſentes manu Noſtra ſubſcriptas, Sigillis Regni & M. D. Lithuaniæ communiri juſſimus. Datum Varſaviæ, d. 25. menſ. Martii, Anno Domini MDCLXXXIII. Regni Noſtri IX.

(L. S.)	(L. S.)
Majoris Regni.	Minoris M. D. Lith.
Chriſtophorus Taranowski, Cracovienſ. Varſavienſ. Canonicus, Sacræ Regiæ Majeſtatis Secretarius.	*Holownia, Sacræ Regiæ Majeſtatis Secretarius.*

Vt

Vt Celsissimus Dux notum redderet, se non modo ab Antecessoribus suis genus, sed etiam generositatem, qvæ in iis semper enituit, ducere, ex speciali erga Sacram Regiam Majestatem & Rempublicam promptitudine, ac zelo in rem Christianam, certum Dimachorum optime instructorum numerum contra Turcas suppeditavit. Qvam benevolæ alacritatis tesseram Sacra Regia Majestas non grato tantum animo excepit, sed & *Reversalibus* cavit, qvod in præjudicium & seqvelam trahi non debeat:

Joannes Tertius, DEI Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masoviæ, Samogitiæ, Livoniæ, Volhyniæ, Kyoviæ, Podoliæ, Podlachiæ, Smolensciæ, Severiæ, Czerniechoviæque, Significamus præsentibus literis Nostris, quorum interest, universis & singulis: Qua ratione pertinax Orientis potentia, quæ funestam Hungariæ cladem, totique Christianitati ruinam & interitum minabatur, nos invitaverit, cum Regni Ordinibus ea consilia inire, quæ avertendi hujus ictus prodesse possent. Cum vero se opponendi tam ingenti potentiæ ægre sufficeret una manus, communeque periculum commune auxilium requireret, requisivimus ab Illustrissimo Principe, Domino Friderico Casimiro, in Livonia Curlandiæ & Semigalliæ Duce, ut cum Nobilitate sua certa Nobis auxilia ferret; Non defuit ad propositiones Generosi Gielgud, Notarii M. D. Lithuaniæ, Aulici Nostri, ore & in scriptis factas, clementissimis postulatis Nostris, Illustritas sua cum tota sua Nobilitate Curlandica, Semigallica, & Piltensi, dum certum numerum militum optime munitorum, cum sustentatione unius anni, computanda a mense Septembre præterlapsi anni ad Castra Nostra mittere literis promisit. Nos hanc declarationem non solummodo benevolo affectu amplectimur, verum etiam pro Nobis & Serenissimis Successoribus Nostris, totaque Republica ex Senatus-

natus-Consilio, verbo Nostro Regio cavemus, quod promptitudo ista, quam Illustritas sua & Ordo Equestris, extra pacta, quibus ad Vasallagium & servitia intra fines Ducatus solummodo præstanda obligantur, in mittendo milite declaravit, & juxta declarationem præstabit, Pactis conventis nihil derogare, nec quocunque tempore pro imponendo, vel exigendo aliquo, Pactis & assecurationibus minus conformi, onere, a quoquam in sequelam & præjudicium trahi debeat, quin potius omnia sua Privilegia, Pacta, Immunitates ac Libertates, sartas tectasque conservamus, Illustritatemque Suam cum universo Ordine Equestri, seu Nobilitate Ducatus & Districtus Piltensis, ab hocce, ex propensa, voluntate in præsenti Reipublico periculo promptissimo ac omni pactis minus conformi, onere posthac liberos & immunes esse, nec quidquam extra Pactorum tenorem exigi, aut imponi debere, verbo Nostro Regio, pro Nobis & Serenissimis Successoribus Nostris, promittimus & cavemus. In cujus rei fidem præsentes manu Nostra subscriptas Sigillo Regni & M. D. Lithuaniæ commuri jussimus. Dat. Javoroviæ, in Russia, d. 20. Mens. Junii A. MDCLXXXIV. Regni Nostri XI.

Joannes Rex.

(L. S.)	(L. S.)
Minoris Regni.	Majoris M. D. Lith.
Stanislaus Szeznka,	*Alexander Janowski,*
Pocillator Visnens. Regens	*Thesaurarius Starodubowiens.*
Regni Cancellariæ.	*Regiæ Majest. Secret.*

o

232
219
26

479
20
150
126

769